

1<sup>a</sup>

---

14092



ABC

*Antygo.*

**LABYRINTHVS**  
**MEDICORVM ERRANTIVM,**  
**D. THEOPHRASTI PA-**  
**RACELSI.**  
*Co del Colegio mayor del vtrubispa*  
**CVM ADIVNCTIS.**



*Peruicacia huius  
 non expugnabitur  
 in expugnatorio,  
 sed post  
 ventum huius  
 generalium, circa  
 Antroos hereticas,  
 mare prohibi-  
 tum.*

*Ingenij quisquis Theophrasti fila sequutus,  
 Tutus ab insidijs est Labyrinthi tuis.*

*vide in p. 23.*



IN LAVDEM MEDICINÆ.  
H. L. L.

**I**ndidit humanis præclaras mentibus artes,  
Clara gubernator qui regit astra Deus,  
Ut certis totum moderentur legibus orbem,  
Atq; homines firma conditione iuuent.  
Plurima uel referant præsentis commoda uitæ,  
Nec non ut profint moribus usq; bonis.  
Præ reliquis diuina tamen Medicina putanda est,  
Quæ morbis certum dat ratione modum,  
Munere de cælo missa est diuinitus orbi,  
Hanc authore Deo credimus esse datam.  
Namq; opibus ueluti corpus præstare uidetur,  
Sic alias artes uincere sola potest.  
Esse quid utilius, uel quid præstantius unquam,  
Humano generi quàm Medicina queat?  
Hæc docet occultas rerum cognoscere causas,  
Ægri, quo medicare restituantur ope.  
Conseruat sano solidas in corpore uires,  
Nec tamen amissas non reparare potest.  
Præscribit iusto conuictus ordine leges,  
Qui prodesse solent, qui uel obesse cibi.  
In pretio magnis erat undique regibus olim,  
Qui Medicis etiam præmia magna dabant.  
Ergo pij ut doctis Medicis tribuantur honores,  
Biblia sacra Deo sic statuente iubent.  
Nec te iudicij moueat sententia prauis,  
Sensaque inhumanis horridiora Getis.  
Sed magis inde Deo toto dic pectore grates,  
Qui medica morbis eripit arte suos.

ACHATIUS  
MORBACHVS MEDICINÆ

CANDIDATVS, LECTORI  
FOELICITATEM &c.



Edicinam maxima in ueneratione semper  
fuisse, lector candidissime, adeo perspicuū  
est, ut neminem qui litteras legerit latere  
possit, Nam siue Hebræos siue Arabes se-  
cutus fuerit: seu Egyptios & Persas seu de-  
niq; Græcos ac Latinos attigerit, eam semper aut diuinos  
homines, quos Heroas uocamus, aut pientissimos Theolo-  
gos, aut magos religiosissimos, aut philosophos sapientis-  
simos, aut etiam reges potentissimos tum coluisse, tum ex-  
ercuisse inueniret, multosq; ex his & deos habitos: pluri-  
mos uero tantis honoribus effectos quantos homini im-  
pendere uix fas est. Verum nostro æuo (quod citra animi  
excandescentiam referre nequeo) in abiectissimorū ne di-  
cam perditissimorum hominum tractationem deuenit, ut  
nemo tam rudis, tam ignauus, tam omnium rerum imperi-  
tus existat, qui sese ex professo medicum dicere nō audeat.  
In illam nempe fecem hominum detrusa est medicina, ut  
non modo aliptæ & balneatores, pigmentarij, & pharma-  
copolæ, uerum etiam cocj, cupediarij, circulatores, hystrio-  
nes, & tota illa turba circumforaneorum medicinam exer-  
cere audeat, qui tamen omnes carnifices uerius quàm me-

A ij dict





P R Æ F A T I O.

dici & dicendi & habendi sunt. Quod in primis hominum uitas negotiantur, questum magis quàm artem secuti, & dum mederi audent homines perdant, Hi sunt qui periculis nostris, ut ille ait, discunt, & per experimenta uitas auferunt. Cuius temeritatis licentiam sola impunitas hætenus præstitit, cum nulla lex sit (ut Plinij uerbis utar) quæ inscitiam capitalem puniat. Ne tamen perpetuo & sine exemplo uindictæ hoc genus hominum elabatur, iudicium nuperrime cum Mulomedico peractū, sub specie Dialogi proponere uolui, quem scilicet Dialogū sub calcem huius Labyrinthi reperies, in quo causa publica mortaliū agitur, In primisq; temeritas ac maleuolentia istius sectæ hōm manifestis. argumentis, tum culpatur, tum reuincitur, demum quoq; pro meritis uindicatur. Nemo autem existimet criminib; ab illis arreptis, ut medicinā artem oīum præclarissimam arrodere uelim, Sed quo Mulomedicos istos & infimæ plebis quisq; lias, qui nec natate nec literas norūt, coarguam, rapacesq; ipsorū nundinas subuertam, qui humanæ uitæ ad mortem usq; insidiantur. Adesto ergo, lector candidis, animo æquiore ac communem humani generis iacturam, reique medicæ dedecus curiosius expende, Inuenies enim uero nullam pestem longius abigēdam, quàm malum medicum q̄ dum uitam hominis aut tueri aut reparare promittit, necem interitumq; machinat, ceu hoc Phœbea luce clarius ex instituta scæna cognoscere licebit. Tu modo fac spectatorem iucundum agas. Vale ac plaude.

P R Æ F A T I O I N L A B Y R I N -  
T H V M M E D I C O R V M E R R A N T I V M  
D O C T O R I S T H E O P H R A S T I  
P A R A C E L S I.



**V**IA error in qualibet re periculosus est, & is qui errat, iam huc iam illuc tendit, nusquam erroris terminum aut finem inuenit, nec quorsum deniq; pergat, scire potest, requiritur & necesse est, ut ab alio educatur, qui uiam rectam exeundi cognoscatis qui in errore est. Qui autem errare & deuiare incipit, ille quoque admonitore opus habet, ut sic periculum cauere discat. Sic olim medicinæ ars in errorem ducta est, in quo hætenus semper uersatur, & non ideo fallax & incerta quædam opinio, certa scientia dici meretur. Et quare de scientia ac opinione sermo incidit, dicendum puto, quod scire & intelligere, est rem uerè perspectam ac cognitam habere, eiusq; rectæ scientiæ, quemadmodum & ueritatis, simplex est ratio. Opinari autem siue errare & scire, dupliciter intelligitur. Quidam enim homines, posteaquam in errorem ac labyrinthum inciderunt, ita grauius errant, ut neq; monoculum illum centaurum, neq; exitum erroris inueniant, & isti errant supremo errore, ac suprema ignorantia laborant, quemadmodum cæci, qui planè certi nihil norint. Si igitur errantes, dum sæpius ac diu quærunt, nihil inueniunt, & dum gnauiter laborant, parum proficiunt, tamen nec ad finem labyrinthi perueniunt: sed iam ut in testudinis testa circum circa ambulant, mox iterum retibus quasi inextricabilibus inuoluti, sursum deorsum sese tollentes, ac exitum quærentes, nihil inueniunt. Nam ibi quærunt, ubi nihil est, palpant, quod nusquam est, & inueniunt quod non est. Quidam uerò ingrediuntur labyrinthum, & eò usq; pergunt, donec ad centrum eius perueniant: ibi demum aspiciunt monoculum horrendum, qui Centaurus appellatur: cuius & imperio uel tyrannidi potius, statim subiiciuntur, & tunc penes monoculatum eiusq; scientiam, omne imperium ac summa rerum omnium est. Hi sic errantes plus aliquando uident, quàm priores: non tamen plenè uident, sed monoculi solum. Grauis quidem & periculosus ualde error est, si ars erret: Et in sapientia errare pessimum est, ac nihil aliud quàm in nocte ac tenebris uersari.

Iam autem negari non potest, quin si sic, ut diximus errant, multum interim experiantur: parant enim sibi experientiam, hinc illuc circumeundo, & dum sic

A iij diutina

scire & intelligere quid.





P R Æ F A T I O.

diutina peregrinatione portam labyrinthi prætereunt, eo ipso plus doloris, plusque iracundiæ sibi conciliant, quàm ulla uel longissima peregrinatione, quæ tenebris ac errore careret. Inueniunt etenim in tali labyrintho experimenta experimentorum & labyrinthum labyrinthorum. Qualis enim dux, talis miles, qualis præceptor, talis discipulus, & qualis faber, talia plerunque sunt instrumenta, ac quicquid sub minotauro illo monoculo est, cæcum est. Conuenit enim ut rex oculatior sit regno: & quia rex monoculus parum uidet, necesse est regnum planè obcæcatum ac inutile esse. Si autem uersantes in labyrintho cæci sunt, erunt procul dubio & studia eorum cæca, erit institutio, doctrina, speculatio, sapientia, praxis, ac omnis denique operatio cæca. Qui enim ingressus est labyrinthum, monoculus uel plane cæcus ingressus est: qui autem nec per se uidet, nec alio uiam monstrante, pergit, necesse est eum totum errare & obcæcatum esse. Quod si etiam contingat, ut monoculo illi pares efficiantur, in errore tamen sunt, quia monoculi auxilio nihil quicquam subleuantur, cum is uix sese tueri & sibi satis uno oculo prospicere queat. Videns enim uno in latere, in altero cæcus sit oportet, quia altero ex latere oculo caret.

His sic præmissis, quàm periculosum sit in artibus ac scientijs errare, quancumque incommodum ijs, qui sic errare dicuntur, & nunquam ab eiusmodi laqueis se extricare queunt, quilibet facile agnoscit.

Quod ad Medicinam attinet, Iudæi olim summè gloriati sunt, & adhuc gloriantur, nec mendaciorum eos pudet, se uetustissimos ac primos Medicos esse, iactitant. Et sunt quidem inter omnes alias nationes principes, nebulonum scilicet. Quæ enim est eorum quæso Medicina? quæ morborum curatio, quid uic agunt egregie ac laude dignum? Parum quidem re ipsa, quod bonum sit, præstant, nisi quod fallendo, decipiendo ac mentiendo multum pollent, si id bonum dici meretur. Deum ipsum ac Filium ipsius unigenitum auersati sunt, nec cognouerunt, & naturæ operationes uiresque cognoscent? Deus ex manibus ipsorum Medicinam eripuit sustulitque, ipsos & illorum genus in infinitum damnans abiciensque, simul & illis maledicens, qui Iudæos tuentur, quique negotijs illorum se intromiscent, & tamen Medicinæ ullam laudem sibi arrogabunt? absit. Nam si quid possunt Iudæi circa Medicinam, id non à suis hereditario acceperunt, sed ab alijs, & peregrinis quasi furto subtraxerunt.

Non enim ad Medicinam nati, non in ea educati sunt. Imò uocatio istorum à mundi primordio fuit expectare Deum Messiam, ipsum colere ac obseruare, & quicquid

P R Æ F A T I O.

quicquid ultra hoc conati sunt, alienum quiddam ac adulterinum fuit. Ethnicis autem Medicina data est, & Ethnicos tanquam uetustiores Medicos meritò ex hoc ueneramur ac magnificimus.

Sic igitur res se habet: Græci primi omnium in Medicinam se immiscuerunt, & magna in ea aggressi sunt, plurimas ob causas, præsertim tamen necessitate urgente: mendacijs tamen ita eam conspurcarunt, quod & Arabes, & ceteræ deinceps nationes ausæ fuerunt à mendacijs ac mendis eam uindicare, & quàm id foeliciter fecerint, patet. Certè quo maiore astutia hac in re agitur, eò citius erratur, & quo quis diutius se macerat in inueniendo, eò inuenit minus. Non enim ratio hominis hanc artem nobis largitur, sed ab eo petenda est, in cuius manu ac potestate sita est.

Postremo quoque & ultimo accesserunt quidam ad corrigendam hanc artem, & metam ei certam imponendam, quò à barbarie & incertitudine semel liberaretur: & isti postremi optimi fuerunt. Primi quidem pauca inuenerunt, ad ultimos res redijt, quorum iam officium est, inuenta augere & usu confirmare, ac quasi exquisi riuis scateutes fontes, in magna flumina dilatare.

Quapropter, ut Medicinæ error ac labyrinthus notior fiat, proposui hoc opere rectam Bibliothecam ac libros indicare, ex quibus libris errores cognoscantur, tenebræ intelligantur, & sic ingressus fiat non ad Minotaurum monoculum, sed ad illum potentem ac æternum, habentem in una deitate plures oculos, qui lux est & uia, quique incedentes secum beat. Beati deinde sine tenebris ambulant, nec fraus in cordibus eorum inuenitur.

Theophrastus



# THEOPHRASTVS

## PARACELSVS LECTORI

SALVTEM.



**V**ONIAM id à quibusdam uitij mihi obijcitur, quòd is ego sim, qui illotis manibus ac ui quasi ad Medicinam profiliam, nec per ianuam ac rectam uiam ad eam ingrediar, excusatione mihi in hoc opus est, humanissimi lectores, & aduersus istos nugatores ac nihili homines, responsione. Primo igitur respondebo illis. Quæro: quæ nam sit porta, quæ uia, quisue modus rectus introeundi ac perueniendi ad Medicinam? Num Auicenna, num Galenus, Mesue, Rasis, an uero ipsius naturæ lumen? En adsunt duæ ingrediendi uia: altera est per libros prædictorum Medicorum, altera per naturam. Meritò igitur iam hic quæritur inter istas, quæ sit melior uia ad Medicinam. Et rectius considerando apparet, lumen naturæ rectam uiam ac ianuam esse, per quam quis ingrediatur ad eam, & alia ianua ingredi, est per rectum uel fenestram descendere. Non enim conueniunt inter se istæ uia, Quare aliud est lumen naturæ, aliud sunt codices scribentium, Item aliud est lumen Apothecariorum, aliud lumen naturæ: & sic, quia inter se non conueniunt, (in altero tamen istorum necesse est rectam uiam esse sram) Iudico istam certiore esse uiam, & istum Medicinæ rectum librum, quem Deus ipse omnipotens nobis dedit, quem ipse composuit, dictauit ac scripsit. Cæteri autem libri, quibus hominum consilia, somnia ac opiniones traduntur, tantum ualent quantum ualere possunt, nec enim eiusmodi opinionibus naturæ ac ueritati quicquam detrahitur. Et hæc est, optimi lectores, firma illa ac perfecta scientia, scire scilicet, quod ex uno solummodo fonte ois Medicinæ ars originem ducit, à Deo nempe. Si igitur à Deo est artis origo, sequitur quod  
& fun-

### PRÆFATIO.

& fundamenta ac principia istius ex Deo pendeant, & à Deo nobis affatim tribuantur.

Quomodo igitur talia principia à Deo discimus? Hoc Deus ipse ostendit, dicens: Medicinam ego mirabiliter creauit, quasi diceret, in libros conscripsi, ibi quærite, ibi legite, & inuenietis ac cognoscetis. Sapiens igitur uir à Medicina abhorrebit nunquam, sed quæret potius, ac inuestigabit eam, si modo uerè sapiens sit. Is enim qui ab operibus ac creatura Dei abhorret, uerè sapiens dici non potest, & sic qui Medicinam contemnit, eius sapientia à Deo minime est, nec in eo Medicina inuenitur, Vbicunque enim Dei sapientia non est, ibi nec Deus est, à quo illa proficiscitur.

Si itaq; quis ad Medicinæ scientiam aspirat, ille primò & ante omnia ibi eam quærat, ubi est, ut rectam & ueram Medicinam sic amplectatur, nec propriam sibi suis fantasijs ac speculationibus fingat. Non est enim Rhetorica, non Grammatica, nec de orationis partibus, sed de longè grauiore re agitur, Inde igitur eam pete, ubi descripta est, & non impinges nec errabis. Considerare licebit omnes omnium scribentium libros & uolumina, euoluere omnium doctorum, qui unquam fuerunt, scripta, certe uidemus ista quæ cum naturæ lumine concordant, firma esse ac efficacia ualde: Quæ autem contra naturæ lumen uel suscipiuntur uel fiunt, ea omnia nihil esse nisi merum labyrinthum, in quo nec ingressus nec egressus certus est. Multi quidem sunt, qui se uera & ex naturæ lumine scripsisse, sibi persuadent, sed falso. Habet enim quiddam in principio certi: citius tamen à ueritate deuiant, quàm decet, & quod habent ueri, id arbitrator mutuo eos accepisse, ab his qui uerè sapientes erant, & deinde suis erroribus conspurcasse ac oppressisse: & sic inuenerunt uel in ipso labyrintho margaritam, quæ neglecta & ante porcos proiecta fuerat. Sic igitur, optimi lectores, in Medicinæ studio legite, ut optimos libros principis medicorum perlegatis, in quibus certa Medicina est, Solus enim is Medicus Deus, ut puto, illuminat, medicinam ministrat, sine quo nihil perfectum esse potest.

B

Caput





## CAPVT PRIMVM

## DE PRIMO AC PRINCIPALIO

ri Medicinæ libro, ex quo quilibet Medicus artem suam haurire debet, qui liber ex sola diuinitate proficiscitur.

**P**RIMVS ac principalis liber omnis Medicinæ, uocatur Sapiencia, sine quo libro nemo unquam quicquam fructuosum ac laude dignum efficit. Ea autem sapientia est scire, & non opinari, ut scilicet, quis uerè, perspicuè ac plane sine omni dubitatione aliquid cognoscat, quod deinceps non temere, non inconsulte, sed rationabiliter appositeq; eo utat. Ista autem sapientia debet esse perfecta, absq; stoliditate, absque errore & dubio, Imo recta uia, rectum fundamentum, recta intelligentia ac speculatio esse debet, quæ singula in sua specie ac natura acutissimè perpendat. In hoc libro est ueritas, & iusta omnium rerum cognitio, qua cognitione cuncta reguntur, ducuntur ac perficiuntur. Is liber est Deus opt. max. Nam qui cuncta solus creauit, penès ipsum etiam solum est sapientia & intelligentia omnium rerum creatarum: per ipsum sapienter agimus in negotijs agendis: & sine illo nihil regi, nihil duci, nihil flecti aut perfici, ita ut debebat, potest: sine ipso quoq; quicquid est, mera fatuitas & merus error est, Nam quemadmodum Sol lumen nobis omnibus præbet, suisq; radijs omnia perlucet, quæ aliàs luce carerent, Sic quoq; sapientia illa superne ad nos perueniat, nosq; illuminet, necesse est. Nam quid aliud est prudentia, nisi artis rectus usus? ut scilicet, quilibet artem suam ac officium perfecte noscat, ac bene administret, quæ non nostris uiribus constat aut efficitur, quemadmodum nec lux, nec tenebræ, quemadmodum nec æstas nec hyems nostra

stra opera efficiuntur. Etsi enim Medicina naturalis scientia est, hoc est, quæ nobiscum in terra nascitur, uti & argentum uiuum, gnaiacum, & aliæ eiusmodi species, tamen necesse est, ut superne nobis demonstretur, & ut ex diuino libro eius scientiam nobis comparemus. Ex isto etenim libro oportet ut ante omnia discamus quid in Medicina sit, quomodo in ea sit, quomodo extra quasi effoditur, & quo pacto ægrotanti subueniatur, Corpus enim Medicina non est, terra quoq; Medicina non est, sed terra est: in corpore autem & in terra Medicina est, ibi occultatur ac latet, & ita quidem latet, ut neq; à terra cognoscitur, neq; à sanguine aut carne intelligitur: & ut breuiter dicam, nullis nostris uiribus cognoscitur. Quid igitur? Si non hominis Medicina est, nec tamen sanguine aut carne, nec humanis uiribus ullis apprehenditur, necesse est ex spiritu illam prorepere, qui in homine est, & is spiritus est ab eo, ad quem post obitum corporis iterum demigrat, isq; spiritus est discipulus Medicinæ.

Sic itaq; clare sequitur, quod prima institutio & inquisitio huius Medicinæ, quærere regnum Dei, Hic est ille thesaurus, hæc schola, hoc fundamentum omnis sapientiæ in quolibet homine sapiente. Nam hoc libro perlecto, id est, regno Dei quæsito, omnia deinceps nobis affatim ministrantur ac adijciuntur. Si enim sedulo quærimus, fortiter pulsamus, suppliciter petimus, quid hoc regno Dei nobilius esse potest?

Terrestres quidem nos ac mortales sumus, nec quicquam in schola terrestri habemus, nisi imperitiam, stultitiam, erroresq; igitur admonemur, ut ad aliam scholam pergamus, ut aliud refugium sapientiæ quæramus, regnum scilicet Dei, in quo omnis sapientia abundat.

Hanc Euangelij sententiam Medicus iustè accusare aut culpare non potest, & hoc ipso dum cogitat, naturæ cum regno Dei nihil esse commune, & medicinæ apud sacra ista locum non esse, falso suspicantur, Nam à Deo prouenit, & à Deo datur. At dicet quis,

B ij Infideles



Infideles & Ethnicos quosdam uidemus Medicos esse, qui regnum Dei non quærunt? tamen interim nihilominus id quod habent, à Deo creduntur accepisse, sine quo nihil est. Spiritus enim ubi uult spirat, nullius est proprius, nulli seruit, huc illuc pro arbitrio suo agitur. Ab eo itaq; necesse est, ut Medicus sua principia sumat, nec quemadmodum Pseudomedici ubiq; mutabilis uenti instar oberret. Quisquis enim ueritatem huius artis inquirere uelit, ille hic incipiat, & omnia deinde foelicia sequentur. Sin uero hoc principium neglexerint, eueniet, ut curiosissime laborans & grauius studens, nunquam tamen ad terminum certum & finitum perueniat, nec ueritatem arripiat. Bene nos Paulus admonet, & docet, à quo quisque hominum suam prudentiam petere debeat, & quomodo eam inuenire queat. Si Medico ars desit, id est, si sapientiam adhuc desiderat, quærat eam apud Deum. Iuxta Apostoli Iacobi doctrinam, qui dicit: Naturæ uires & arcana à Deo discere nemo abhorreat.

Sic itaq; haud inconueniens erit dicere, Deum librum primum Medicinæ. Quis enim melius nouit elaboratum, quàm is qui elaborauit? quis melius effectum nouit, quàm is qui fecit? aut à quo commodius quis discit, quàm ab eo, qui perfectus sit suæ artis artifex? Cum igitur à Deo Medicina creata est, nemo certe melius eam nouit, quàm ipse Deus creator, & ab ipso deniq; ad nos peruenit ac profluit, non aliter atq; ex Solis radijs calor prouenit, qui flores ac omnis generis gramina producit. Num quid, quisquam habuit, quod à Deo non fuerit, quodue Deo non merito acceptum ferat? non certe arbitror. Is enim est, qui in sua manu tenet omnia, è cuius potestate, si quis quid eripere aut consequi uelit, orando id faciat oportet, quærando & pulsando, & hæc est uia ad scholam: nam ui & uiolentia hac in parte nihil efficiamus. Is enim qui nos orare, ac panem uictumq; petere iussit, iubet & alia maiora flagitare. Nec in pane etenim solo uita nostra consistit, sed & doctrina ac sapientia ex ore Dei proueniente. Et ea sapientia nos saturare debemus, non minus quàm alijs cibis, simul & cogitare, cetero cibo uentrem  
ad

ad pusillulum temporis saginari, hac autem animam ad æternam uitam muniri. Fulgebunt etenim olim in cœlo sapientes, non minus atq; Sol fulget inter stellas, hi dico sapientes, quorum à Deo sapientia est.

Sic quælibet perfectio ac quælibet artis absolutio à Deo est, qui nos iubet orare, pulsare & quærere, dicens: Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur uobis: ex quo sequitur, nos non lapides, serpentes aut scorpiones pro pane accepturos esse, sed longe meliores. Et ita quilibet etiam naturalium rerum diligens indagator, sciat, hoc pacto naturalia addisci facile & recte posse. Hoc enim uerbum dum inquit: Discite à me omnes &c. necesse est ut impleatur & effectum habeat. Quicquid enim ab illo non discimus, id haud dubie absq; fundamento est, & à ueritate alienum erit, imo quicquid extra ipsius scholam sapimus, id nisi tenebræ, error ac mera cecitas est. Sic enim secreta ac mysteria naturæ peruestigare poterimus, & sic magnalia Dei nobis nota fiunt ac manifestantur. Sic quoq; abscondita & occlusa in natura referantur per illum, qui in natura ea abscondidit, & qui plurimum delectatur, quoties uidet nos sedulos ac industrios esse in inquirendo scripturam illam, per quam sic arcana manifestantur. Si uolatilibus cœli ac reptilibus in terra tam largiter necessaria ministrat benignissimus Deus, ministrabit haud dubie & nobis multo largius, qui ad effigiem ipsius creati sumus. Quid enim uel minima auicula habet, quod à Deo non acceperit? Si igitur nos istum librum, in quo omnis sapientia includitur, ex quo cuncta scientia profluit, non exacte ac bene perdidicerimus ac cognouerimus, sic accidet, ut sedulo studentes nihil proficiamus, & oculis apertis nihil uideamus.

Visum est itaque mihi, ut prius libros medicinæ ostenderem, quàm ad Gallici morbi descriptionem accederem, & sic præponerem primum ac utilissimum librum, in quo omnia fundamenta ac principia comprehenduntur, in quo etiam discere incipiens finem inuenit, nec incertis ambagibus uariè circumagitur. Sic namq;

B iij in ædes,





in ædes, id est, in Medicinæ artem, recta ianua ac uia patet, & sic recte ingredimini: non per fenestras aut tectum descendimus, non temere irrumpimus, quemadmodum humoristæ facere consueverunt, qui ultro absque omni ordine in Medicinam se præcipitant, nec hunc librum prius exquirunt: quærent enim primo thesaurum illum, quem tinæ ac rubigo facile corrumpunt, & sic quoque præmium laboris ac uirtutis suæ denique accipiunt, errorem scilicet. Nam quod quisque quærit, inuenit, & ubi quis thesaurum habet repositum, ibi & cor eius alligatum esse oportet. Sicque magno conamine incidunt in Pauli sententiam, dicentis: Nihil aliud agunt quam quod discunt, nec tamen possunt inuestigare artem ueritatis. Quæ sententia loquitur de his, qui prius terre regnum, non Dei regnum quærent.

## SECUNDVM CAPVT, DE SE- cundo libro Medicinæ, ex quo Medicus discit quid sit firmamentum.



**N**EMINI & hoc mirum uideri debet, quod hoc loco libros scriptos, chartaceos, non in medium produco, nec in istos lectorem duco, ut inde principia Medicæ artis hauriant, huius enim causa, ut necessaria ac magna est, ita quoque præ oculis ac in promptu est.

Conscribunt passim multi, ut uideamus libros, tum boni tum mali, tam docti quam indocti, & mali sæpius scribentes, multa mixtim, ac sine delectu accumulantes, ut sic malis suis, bona quæ sunt, contaminent ac conspurcent. Deinde sæpe occasione data, mala extollunt, laudant, bonaque pro uiribus opprimunt, & sic uarijs modis uentos concitant, ut legentes in fluctuosis undis semper retineant, nec unquam in tranquillo mari nauigare eos sinunt. Et ita quilibet alienis plumis formosus esse, ac nomen sibi parare cupit: igitur non ui ali-

ui aliquid effingunt ac comminiscuntur quocumque pacto possunt, taliumque scribentium opera, uel delitijs potius, Medicina plane corrupta est ac prophanata.

Non igitur istis libris fidendum est multum. Nam etsi nonnullam quam experimenta quædam admixta habent, ea tamen ita apud ipsos authores sunt, ut quasi incerta, & postea alijs nugis magis ac magis obscurata, ut omnino incerta reddita uideantur, ita etiam, ut eiusmodi erroribus ipsi nugarunt authores, denique falsi sunt ac decepti, & ex librorum ipsorum stylo etiam apparet, magnam simplicitatem mixtam cum inscitia, in medicina fuisse.

Sciendum igitur alios libros esse, ex quibus recta fundamenta Medicinæ sumuntur, præter quos, omnes alij & libri, & scriptæ literæ sunt mortuæ & inutiles, quare citius mortem decumbenti, quam uitam afferunt. Alter igitur uel secundus liber Medicinæ, est liber de firmamento, qui iusto ordine post primum librum poni & disci debet. Nam quemadmodum supra diximus, si in primis regnum Dei quæserimus, adijcientur nobis alia absque dubio, & sic post istum, hic quoque liber subijcitur ab illo, qui in naturæ lumine uiuit spiratque.

Quemadmodum autem in scripto aliquo libro, literis depingi ac scribi potest, integra quædam ars & absoluta doctrina, quam deinde quilibet ex isto cognoscere legendo potest: Sic in firmamento quoque talis reperitur liber, qui nobis uirtutem efficaciamque firmamenti abunde exhibet, ac docet. Nec hoc tamen dico, quasi ab Alphabeto originem huius libri ducerem, minime. Nam hoc, quod Alphabeti literis comprehenditur, extrinsecus ad literas eas applicatur. In firmamento autem ipse liber, & res descripta in libro, unum sunt origine & ordine, ut exempli causa: Arbor aliqua in horto crescens, fructumque ferens, per se nihil nomen arboris exhibet, etiam absque literis, & absque ulla scriptura, nec necesse habet literis pictis Alphabeti, imo uirtute sua satis declarat, quid sit, quid fructus ferat, quæ uis, quæ operatio in illa sit, & quare sit, hæcque omnia absque charta



charta & papyro, absq; calamis & atramento. Sic quoq; liber firmamenti facere solet, per se nos docet, qualis sit, quid comprehendat, quæ uis ac uirtus &c. absque scriptura, sed tamen ex hoc libro firmamenti non scripto, descenditur ad Alphabeticum librum scriptum.

Quia tamen aliter atque aliter de hoc homines uarijs in libris scriptis quærunt, accidit ut uel optime scriptis libris uix fides habenda sit, nisi prius ad hunc librum firmamenti, ueluti ad amussim redigantur, probenturq; sicuti aurum, sal, gemmæ & eiusmodi ad lydium lapidem probantur. Et qui hunc librum non diligenter perlegerit, non exacte perdidicerit, Medicus dici aut esse, nequaquam potest. Nam quemadmodum ex multis literis ac syllabis uocabula quis colligit, ex uoculis deniq; sententiam integram componit, qua aliquid certi indicatur: sic quoq; Medicus cogitur ex singularum stellarum enumeratione & consideratione certum quiddam colligere, & certam sententiam componere. Item quemadmodum singula uocabula singulas significationes habent, nec tamen sententiam, in se perfectam continent, cum cæteris quoq; dictionibus adiungantur, quibus omnibus coniunctis perfecta oratio efficitur. Sic etiam stellæ copulentur necesse est, ut ex tali copulatione ac coniunctione multarum, certa quædam sententia & certus effectus firmamenti sumatur, id est, omnes firmamenti uirtutes causasque coniungere debemus, quibus coniunctis, non aliter ac ex epistola scripta, & ultra centesimum lapidem missa, sententiam, ueritatem, ac animum scribentis, id est, firmamenti intentionem ac potestatem cognoscimus.

Posteaquam igitur de libro uel de epistola tali constat, tunc proximum erit Medico, ut nuncium siue tabellarium fidelem sibi eligat, cui literas deferendas tuto committat, & hoc proprie ad hunc secundum librum attinet, Liber quidem correctus ac minime mendosus est, neminem fallit, quia ab eo scriptus, qui fallere non potest, & qui etiam absq; chartis literas emittit, ut nos instruat. No-  
uit enim.

uit enim is à principio, fore aliquando, ut Pseudomedici adueniant, qui sinistro ac peruerso calamo libros scripturi sunt.

Hæc est uia studendi Medicinam, hic liber in medica facultate perlegendus, talis author, sic quoq; ab initio usque ad finem morbi cognoscuntur. Et sic libro firmamenti inuento, quamuis deinde requiritur ut in charta quoq; describatur, non tamen alius est in ista charta, seu membranæ, quam quod umbra in pariete, aut quod imago in speculo, quæ inditium sunt quidem corporis & formæ, nec tamen perfectum corpus aut formam exhibent. Imo qui plene instrui de corpore aut forma uelit, necesse habet, ut ultra umbram ipsam personam inspiciat, & ultra speculi imaginem ipsum hominem bene contempletur: quo facto, iam plene cognoscit, iam plene uidet, ac iudicat, nec amplius uel umbra uel speculo indiget, dum uiuam formam oculis intuetur. Sic libri Medicinæ scripti, non sunt perfecti, ut scripti, sed uti per se, ac in se, perfecti & absoluti sunt. Sicut & arbor, cum describitur, eò usq; describitur, quousq; forma eius quantitasq; externe apparet, oculisq; subiecta sit. Interiora autem, scilicet, qualitas ac uirtus arboris, quæ est ipsa arbor, nunquam recte aut plene depingitur, quare in arbore ipsa est, & in ea manet, nec penitus describi potest. Item, sicut ea quibus uescimur proprie cibus ac nutrimentum non sunt priusquam sanguis fiant: posteaquam autem in sanguinem conuersa fuerint, tunc cibi nomen merentur, quia tunc cibant ac nutriunt corpus: illud autem quod sanguis non est, uere cibus non est. Et si distinguere nos uerum à ficto, certum ab incerto, proprium à minus proprio oportet, ne umbram pro corpore, speculum pro forma, arboris externam descriptionem pro ipsa arbore accipiamus.

Et hoc circa Medicinæ libros, animaduertendum summo opere erat, ne scriptis libris plus quam ueris nitamur, neue incertos pro certis amplectamur, cuiusmodi & liber firmamenti, Ridiculum sanè admodum est, & plusquam ridiculum adeo delirare nostro tempore homines Medicos, adeoq; obcæcatos esse, ut adulterinos libros pro

C ueris





L A B Y R I N T H V S

ueris amare uelint, in quibus tamen & sumptus, & tempus, & oleum atq; operam (ut dicitur) inutilem perdunt, unde, quia syllabæ ac uocabula mortua sunt, uiuam sententiam elicere nequeunt, & hoc in curando ac curatione eorum apparet. Nec interim considerant, si quis libros, in quibus ipsi uersantur uti falsos & adulterinos incertosq; accusaret, quòd illos ueros esse probare aliter non possent, nisi ex scriptura, & sic non defendere facultatem cui student, nisi dicendo sic scriptum legimus &c. Vera autem alicuius libri probatio ac consideratio fit respectiue, respiciendo, scilicet, ad eum, à quo liber, ut puta Euangeliorum liber à Christo, quia ex ipso, naturalis liber à natura, & cum natura probatur, quia à natura prouenit. Cum igitur naturalis liber firmamenti ignoratur & occultus est, quomodo per speculum ac umbram, id est, in charta depictis literis discitur uel probat, cum hoc non intelligimus, unde iste liber procedat? Quem quæso alium librum optabit sibi faber lignarius in ædificando, nisi lignum ac securim? quem librum lapicida desiderat, nisi lapides, malleum ac cementum? & quem librum habebit homo Medicus meliorem quàm illum ipsum, qui homines ægrotare & reualescere facit? Necessè quidem est omnino, ut intelligentia & artes ex eo manant profluantq;, in quo primo fuerunt, & adhuc sunt, & deinde propter illud quod certum est, conceditur, uel in speculo imaginem, uel in pariete umbram tuto aspicere, cum ante corpus ipsum cognitum habeamus. Corpus est ipse liber: huc igitur Medici pergant, huc properent ac anhelent, secundum id quod Christus ait: Vbi cadauer, ibi congregantur aquilæ, nam ubi recta Medicina, ibi recti Medici merito adcurrunt, ac officium suum exercent. Si ita est, ut quodlibet animal cadauer sibi aptum quærat, & ab isto cibum petat, satureturq;, consequens est, ut firmamentum liber iste sit, uel pratum, ubi cadauer nutrimentum nostrum reconditur, lumen scilicet, naturæ, & ubi scientia uel naturæ lumen, ibi artifices, ibi appetentes scientiam congregabuntur. Sic itaq; Medicina & aliæ artes in corpore sunt, & istius corporis pars est firmamentum, merito

M E D I C O R V M.

rito igitur Medici accurrunt, ut inde Medicinam discant. Et hoc modo intelligi debet hic secundus liber: Non enim fat est, nec decet, dubia quædam & quauis arundine mutabilia amplecti, imo fontem ipsum, ac recta fundamenta quærere debemus, ad ipsa recta principia confugiendum nobis est, quemadmodum ad cadauera sibi aduolandum aquilæ putant. Quilibet igitur sic secum statuat, se rectam & indubitata scientiam sequi uelle, quod cum cogitat, conetur pedibus manibusq; istam scientiam ex certo fundamento eruere, & sic ex certo cadauere cibum petere.

TERTIVM CAPVT, DE TERTIO libro Medicinæ, cuius corpus in Elementis est,



**V**L T R A prædicta, requiritur ac necessè est, ut Medicus cognoscat ægritudines, morbos, ac è contra, ualitudinem, quatuor elementorum. Magna enim homini cum elementis est cognatio ac affinitas, & maior quidem necessitudo ea est, quàm quæ inter uirum & uxorem est, idq; propter concordantiam unitatis ac coniunctionis, quæ elementis est cum hominibus, & discordantiam, quæ inter uirum & uxorem reperitur. Quia igitur una sanitas, unaq; infirmitas, & plane similitudo est in utrisque, animaduertendum est diligenter, quænam ista proprietas sit in elementis, quo cognito, etiam hominis proprietas cognoscitur, quæcunq; enim mundi elementis sunt uel propria, uel contraria, eadem & hominum propria ac contraria sunt. cui est cum elementis eadem proprietas, & eadem actio. Quemadmodum enim ex terra arbores aluntur, succum ac uim suam bibunt, sic & homines ex elementis: & quemadmodum uidemus ex terra flosculos, ac uarias omnis generis herbas nasci: ex aqua mineralia, ex chao rorem ac pruina, ex igne Meteoricas im-

C ij      pressiones



pressiones prouenire. Sic quoq; in homine ista quatuor elementa essentialiter hærent, simul & eorum effectus, species: ac uariæ generationes. Si quis igitur hæc quatuor elementa externa non benedidicerit aut intellexerit, tanquam librum necessarium, in quo Philosophicus Medicus uersari ac discere debet: & ex quo firmare ac fundare suam Philosophiam potest (quemadmodum ex libro Astronomiæ Astronomicus Medicus se fundat) quid quæso ille circa interiora elementa, id est, circa hominis naturam cognoscet? Homo etenim est corpus physicum, elementa autem sunt corpora limi, & physicum corpus oritur ex limo, & ideo sibi reseruat substantiam limi, quemadmodum filius patris sui essentiam sanguine ac carne representat, ut fieri uidemus. Sciendum itaq; quia elementa mater sunt physici corporis, omniumq; adeo ex terra nascentium mineralium ac impressionum: & sic ex ipsis, ac per ipsa, mala bonaq; permixtim crescunt, sana ac nociua, pura ac impura, spinæ ac rosæ, aurum ac lutum, fulgura & ros, manna nebulæq; generantur, quod idem in hominis corpore sic fieri solet. Nam in homine eadem est uis producendi tribulos quàm lilia, tam argentum uiuum quàm auripigmentum, & sic de cæteris, ex quibus deinceps procedunt omnes istæ procreationes, quales sunt morbi & ægritudines hominum.

Has procreationes omnes, Medicus cognitas ac compertas habere debet, nec tamen ex physico discere debet corpore primum sed ex limi corpore prius, deinde ex physico discere debet: ut sic corpus limi, primo nobis literas syllabasq; declaret, deinde uocabula, postea orationem componat, ex qua sententia integra colligatur: ut si ostendatur, quid Sphæra terræ in corpore physico, quid cardia physica in corpore limi sit, & sic de cæteris omnibus.

Hoc tamen omnibus modis ita fiat, ut corpus limi præcedat corpus physicum, & tali ordine, istis duobus coniunctis, textus & glossa simul procedant. Hoc Medicus scire debet, & quemadmodum de corpore nostro certi sumus, item quemadmodum certo ac uere scimus,

scimus, omnes capitum nostrorum crines apud Deum numeratos esse, sic istæ generationes apud Medicum numeratæ quasi esse debent.

Elementorum autem quodlibet in tres partes diuiditur, ita tamen quod istæ partes mixtæ sunt in omnibus elementis, unius speciei, unius formæ ac coloris, scilicet in sal quod est balsamum, in resinam, quæ alio nomine sulphur dicitur, & in liquorem, qui aliàs cotoronium appellatur. Ex his tribus partibus omnia proueniunt, tam procreationes elementorum corporis limi, quàm procreationes elementorum corporis physici, ex his quoq; quælibet corpora inficiuntur ac tanguntur, nec in ullo elemento, aut corpore, plures nisi hæc tres inueniuntur. Et ex his fiunt metalla, mineralia, lapides, ligna, herbæ, & alia omnia uegetabilia, siue ea sensibilia sint, siue non sensibilia. Est tamen in hoc etiam differentia, quia alio modo metalla fiunt, alio caro ac sanguis, alio etiam ligna ac lapides &c. Quamuis propriè Medicus huc non respicit, sed interiora potius, uti subiectum suum, considerat, quæ ex elementis nascuntur. Porro etiam sciendum, quod istæ, quatuor matres elementorum sua qualitate ac proprietate, aliquid gignunt in homine. Terra enim suas species producit: aqua suas species: ignis & chaos suas species. Imò in hoc etiam cognoscitur, ac uidetur, quod ex terra flamula ac mandragora crescunt, quæ tamen inter se contrariæ naturæ sunt, quamuis ex una matre natæ. Sic quoq; in homine ægritudines nascuntur ex elementis, non tamen ita intelligendo, quod ex terra solummodo frigidi ac sicci morbi, ex aqua frigidi ac humidi nascantur, & sic de cæteris elementis, ut quodlibet elementum similes morbos efficeret. Imò etiam contra naturam genitricem, hæc sæpius gignuntur. Non enim elementa complexionem habent, & quamuis complexionem ex ipsis proueniunt, non tamen in ipsis complexio est, sed in temperamento est, & illud temperamentum comprehendit omnes complexionem, omnesq; gradus, qui unquam hæctenus omnes numerati sunt à quoq;, nec in algorithmum etiam peruenere, sed

C in in ipsis





L A B Y R I N T H V S

in ipsis adhuc iacent, & sunt in ipsis potentialiter, quemadmodum lignum nondum fabricatum, id enim omnes formas in sese comprehendit potentialiter: uel enim imaginem in eo sculpere licebit, & ad aliam formam redigere, quia in potentia sua quamlibet formam à principio retinet, donec actu accedente certa forma ex eo eliciatur. Sic quoque de elementorum corporibus dicitur, quod complexiones dant, nec tamen ipsas in se habent. Et hoc Medicus omnibus modis animaduertat, præsertim hanc ob causam, ne forte qualitates & humores matres esse putent. Nam elementa ipsa sunt mater, & eorum procreationes sunt species, non autem humores, ne forsan in hoc erretur, dicendo: Cuius humoris hoc? Respondebo: Colericæ, imo calidæ potius sectæ uidendum est. Nam nec colera, quatuor columnarum una est, sed secundum omnium ueterum sententiam morbus est. Item dicendo: Cuius qualitatis? non bene respondebitur: Sanguineæ, quia sanguis quoque non est ex quatuor columnis, sed potius corpus est uenarum, nam quod uinum in dolo, id sanguis in uenis est. Item quærendo: Cuius naturæ? non appositè respondebitur: Flegmaticæ, quia cum flegma sit excrementum nasi, quid ad uentrem? Interrogando autem, Cuius elementi? Respondemus: Terræ, aquæ, ignis, aut aëris &c. Et si responsum constat ex quo elemento morbus sit, ut ex igne, non ex colera, ex terra, non melancholia, ex aqua, non flegmate, ex aëre, non sanguine, Non enim dicendum est, hoc est melancholicum, cum neque celo, neque terræ quicquam de melancholia constat. Neque dicendum, hoc colera est, hoc flegma, hoc sanguis &c. quia natura ipsa in suo processu ac ordine, nihil de his scit, nec cogitat.

Posteaquam hoc modo, Medicus elementa cognouerit, tunc in generatis omnia morborum genera inuenit, quoscunque homines patiuntur. Nam qualis flammula est, talis etiam est morbus flammulæ. Quid hic quæso opus multos libros euoluere, aut quid opus diutius circumcurrere ac quærere, num ex uesica, num ex alia re morbus fiat? Nam si recte nosti unde limus palustris ueniat, unde  
urtica,

M E D I C O R V M.

urtica, unde melones, unde plumosum, tunc facile nosces, unde morbus ipsius, & species ipsius fiet. Vbi igitur hic cholera, ubi adusta melancholia tua manet? Ex generatis & procreatis, ex filiis ac filiabus elementorum, discere debes, physicum corpus in suis morbis cognoscere, discernere, iudicare: speciem in specie, materiam ex materia, hominem ex elementis, & quales morbos generata fecit adferant, & qui in exterioribus his generantur. Hæc Medicus discat, & in his sese exerceat. Nam in hoc libro elementorum inueniet hominem ad naturæ effigiem depictum, haud in chartaceis Medicorum uoluminibus, quæ ex elementorum libro non descripta sunt. Nemo certe, recte librum aut textum componere potest, sed hoc officium naturæ relinquitur. Ipsa enim textum componit, Medicus autem deinde glossam ad istum textum pro diligentia sua effingere potest. Vide igitur tu iam, quàm bene quadret, ac conueniat glossa tua cum textu elementorum, non aliter nempe, quàm cum furfure sal conuenit. Tales itaque esse debent descriptiones tuæ, quales in elementis esse uides, Quodlibet scilicet corpus secundum naturam ac proprietatem suam describendo, & sic quemadmodum magnalia Dei, bene ornata, ordinata, ac egregiè depicta sunt. Hoc enim ipsum quod ligna putrescere facit, idem & hominem putrescere cogit, & ex qua causa in hominis corpore uermes nascuntur, ex eadem & in obsonio crescere solent. Sic itaque ad scholam istam perueniendum est, in qua Medicinam discimus uerè, non fictè, ubi ueritas ac certitudo est, non ambages, non laruæ aut fallaciæ.

Q V A R T V M C A P V T, D E L I -  
bro Physico, ex quo Physicum corpus in mycro-  
cosmo cognoscimus; & est liber Ana-  
thomiæ maioris.

Posteaquam



**P**O S T E A Q V A M ex tertio libro compertum est Medico, quomodo integra elementa in seipsis creata sunt, sequitur, ut quoque sciat, quod duplices species corporum in unico corpore physico reperiantur. Et deinde oportet, ut istam machinam totius mundi, etiam in homine inueniat: & hoc traditur in quarto libro: Docet enim neque minus neque plus in physico hoc corpore esse debere, quam in mundi machina. Quoties enim alias uidemus uarias ac multiplices rerum species esse: ut lignorum, lapidum, herbarum &c. semper cogitandum est, eiusmodi quoque in homine species esse, alia tamen forma quam in elementis: Apparet enim hoc in homine, uel circa morbos, uel etiam circa ualetu linem bonam. Aurum quod in elementis, est aurum, quod autem in homine aurum est, id naturalis confortatio est, ut infra latius patebit, & sic de cæteris omnibus speciebus elementorum faciendo æquiparationem cum mycrocosmi speciebus. Si quis igitur ita nominare ac cognoscere potest species, quæ in physico corpore sunt, ut firmiter dicat, Hoc in homine Saphyrus est, hoc Mercurius, hoc Cupressus, hoc Flos cheyri, ille in physici corporis libro, feliciter se elaborauisse, ac egregiè profecisse sciat. Et is qui sic istas, ut dixi, species, corporis bene cognouerit, ille haud immeritò Medicus & dici, & esse potest: Poterit enim facile inuenire theoreticam scientiam, quæ non debet esse speculatiua, sed ex practica sumpta ac decerpta, & ex istis libris omnibus, de quibus hoc opere agimus. Practica enim nequaquam ex speculatiua theoretica fluere debet, imo ipsa theoretica ex practica potius: & sic ista omnia, nil nisi practica sunt, de quibus hætenus tractauimus, & adhuc tractamus. Medicus itaque, si ad hunc modum concordantiam Anathomix uniuscuiusque fabricationis, machinæ mundi & physici corporis constituerit, posueritque, atque in omnibus ordinauerit, quodlibet tamen suo loco ponendo, tunc pulchre sequitur alium morbum esse, qui in ossibus sit, alium qui in carne, & alium qui in sanguine &c. Quemadmodum alij uermiculi in lignis nascuntur,  
alij

alij in herbis, alij in arborum folijs &c. Et in summa, quotquot sunt corporum species, tot etiam morborum genera sunt, hoc est, quodlibet corpus, æquè multas morborum species habet numero, quæ deinde sese diuidunt, hac ratione ac differentia, ut aliter in elementis, aliter in corpore hominis sunt, quo ad corporalitatem & substantiam, non autem quo ad proprietatem: nam quo ad illam, omnino id euenit, quod in elementis. Cuiusmodi enim est membrum, eiusmodi quoque morbus est. Nam alij sunt uermiculi, qui in ossium medulla crescunt, alij qui in intestinis &c. & ex his rebus oriuntur causæ membrorum in hominibus. Hætenus creditum est, sed falso, quod unicus saltem, & idem sanguis in omnibus uenis corporis humani sit, & id eam ob causam, quia omnis sanguis æquè rubens, & quia dicitur: quod omnis sanguis sit calidus & humidus, quæ quidem sententia generalis est, nec tamen hoc probat. Nam quemadmodum alia atque alia sunt species lignorum, sic quoque uariæ species sanguinis. Dicit autem iam aliquis: Si in arbore & ligno comparatio facienda est, nonne arbor uel truncus arboris corpus est? iam autem ab illo trunco multi rami, quasi brachia ac uenæ extenduntur undique, qui tamen rami eiusdem sunt naturæ, qualitatis, uirtutis ac efficacitæ, ut illud etiam in fructibus apparet? Respondet: Verum quidem hoc in una arbore, longe tamen aliud est, si aliam arborem ad hanc conferas, alios ramos iuxta hos perpendas, tunc nimirum, nisi fallor, apparebit, clareque constabit, plures ac diuersos ramos in arboribus esse, quorum tamen quilibet in suo trunco hæret, & sic per consequens, quod uariis ac multiplex sit sanguis uenarum, quamuis in uno corpore: Sunt enim iam uenæ cypressi, uenæ baccarum, uenæ Rosmarini, & similibus, igitur sanguis non manet in eadem qualitate, aut eiusdem naturæ. Hic certe rectus liber est, ex quo Anathomia sumi debet, ut nempe homo sciat elementorum ac mycrocosmi substantiam, & proprietatem inter se conferre & comparare, nec enim satis est, ut hominis corpus oculis saltem aspiciamus primo, deinde anathomisetur, intusque cognoscatur, postea  
D coquatur,





coquatur, ac iterum inspiciatur. Nam ista omnia facere, eiusmodi penè quiddam est, ac si rusticus, ac planè idiota Psalmorum librum diligenter inspexerit, ac sedulo reuoluerit, literas quidem ac picturas uidet, præterea autem, nihil fructus, aut utilitatis ex eo aufert. Igitur illa ipsa tum externa, tum interna corporis inspectio, non potest ut perfecta cognitio consistere: quod ut melius intelligatur, unico hoc exemplo, dilucide ac crassiore Minerua ostendam.

Quotquot per mūdum sunt aquarum species, tot etiam in homine sanguinis species, quod ita intelligendum est, quando corpus physicum in suo elemento ponere uelimus, & deinde unicuique elemento suum corpus attribuere, tunc sanguis est elementum aquæ, non obstante quod sanguis sit calidus, aqua uero minus calida. Nam iste in sanguine calor, non semper à natura est, quemadmodum nec aqua à natura calida, incipit tamen nonnunquam externo calore, physico sole accedente, calefcere, sicuti & terra ad solis æstum calefcit, & sicuti ignis ea, quibus adhibetur, calefacit. Sic etenim ignis elementalís cætera elementa in homine calefacit ac incendit. Et ut diximus, sole feruente, terra calefcit, sic quoque à Sole, qui in homine est, terra & aqua &c. in homine calefcunt. Interim tamen natura istarum, terra scilicet, aquæ, in sua substantia manet, nec per hoc accidens frangitur.

Si autem colligendo: Mundus est calidus, igitur est calidæ naturæ, id minime sequitur, nam quædam in eo calida, quædam uero frigida esse possunt, ut abunde satis dictum est. Sic igitur uos omnia perpendite, ut proponatis corpora elementorum per species, cuiuslibet elementi, deinde idem in physico corpore agite: nam idem de elementis cæli & corpore physico iudicium est.

Dicitur quoque quod summa essentia omnium ossium, quod idem falso dicitur. Nam quemadmodum in lignis uarias formas ac uarias species cognoscimus, sic in ossibus aliæ atque aliæ species, aliæ atque aliæ differentia est. Dicunt quidam, quod & uentorum sit una natura, nec hoc uerum, quia sicuti multiplices sunt causæ excitantes &

res & efficientes uentos, sic quoque uariæ species, & multiplex eorum natura, sic quoque in homine multiplex colica est. Itaque hic liber in physico corpore ad hunc modum bene diuiditur, ne à falsis definitionibus quorundam scriptorum, nobis imponatur, qui aliter atque aliter de hoc atque alio sentiunt, hoc tale, alterum aliud esse dicentes: quorum opera ac uolumina, si legantur, facile indicant, quod principia ac fundamenta eorum ex mera fantasia, & ociosa speculatione proficiscantur, quæ neque ad Philosophiam, neque ad Medicinam feliciter addiscendam satis fundata sunt. Nec hoc omittendum puto: quod in discendo Philosophus procedere debeant, Medicus autem sequi, id est, quamuis maior mundus præcedere debet, cum suo libro, sic tamen præcedat, ut statim, & è uestigio alter subsequatur. Maior enim mundus ordinari, distribui ac diuidi debet, non solum in generum species, sed etiam in loca, & alios omnes processus ordinesque in Cosmographia ac Geographia comprehensos, & idem deinde similitima ratione ac uia in physico corpore faciendum. Non enim fat est, unam Cosmographiam, & unam Geographiam esse. Imo duplices esse oportet, quemadmodum & mūdus duplex est, maior scilicet, & minor mundus, quorum mundorum substantia & uariæ imagines formæque quas oculis intuemur, nihil nos morari aut perturbare debebant. Et sic optime dictum est: Vbi Philosophus desinit, ibi Medicus incipit, quod ita accidit.

Posteaquam Philosophus maiorem mundum plane cognouerit, tam in firmamento, quam in elementis, & omnibus generationibus ipsorum, tunc facile quoque cognoscat mundum minorem. Qui autem huius Philosophiæ rudis est & imperitus, ille nunquam microcosmum cognoscat, & sic quicquid de natura hominis uel scribit, uel loquitur, uel cogitat, non aliud in eo agit, nisi quod cribro aquam haurit, (ut dici solet) & quasi cæcus colores discernit ac iudicat. Opinatur solummodo, somniat, & sibi ipsi persuadet, se aureos montes in Hispania uidere, quos non uidet. Quæ igitur hoc libro à me traduntur, æqua ne sint, an iniqua, uerane an falsa ipsimet  
D ij iudicate.



iudicare, discernite, rationem cum ueritate simul in consilium adhibete, reperietis certe meliora ac firmiora fundamenta, & plus ueritatis quam in ullo libro, ex calamo, & atramento nato, in quibus eiusmodi fundamenta ac eiusmodi demonstrationes uidemus esse, cuiusmodi istius, qui ex speculi imagine hominem se cognoscere putat, id enim agit, ut imaginem talem, qualem inspiciat, contempletur, ceterum quid in homine sit, quid in dorso secum gerat, ignorat, imagine saltem contentus est, quam intuetur firmiter, quemadmodum uirtutibus quispiam nouum ædificium contempletur absque iudicio & ulla ratione, quamuis eiusmodi nugas ac uanas contemplationes hæcenus Pseudomedici pro fundamentis, ac penè pro uexillis in Medicina habuerunt.

QVINTVM CAPVT, DE LIBRO Alchimie, & quod Medicus absque Alchimia non possit esse Medicus.



**A**d quintum iam librum accedemus, qui fortassis propter nominis malam opinionem, odiosus & fugiendus quibusdam uidebitur, quorum tamen stultitiam carpere fatius est, quam religionem laudare, in hoc cum rem sacram ac sanctam, utilem ac bonam propter malos quosdam usus, uel abusus potius, qui circa eam reperiuntur, contemnunt ac abijciunt. Sapiens omnino ac prudens uir, rectum in qualibet re inspiciat, & secundum illum rem malam uel bonam iudicat, nec ullo abusu à uero iudicio distrahitur, & recte. Quis enim prudens colori optimo, ac pretioso inuidebit, propterea quod ad malam, ac inhonestam picturam fortassis pictor eum adhibuit? Aut quis lapidem oderit, quem lapicida inconsultius agens, forte frangit? Et sic: Quis uere sapiens Alchimiam damnabit, nobilissimam creaturam ac opus Dei propterea, quod uideat aliquos, minus recte

recte iam didicisse, ac minus feliciter eam tractare? In Alchimia culpa plane nulla est, in imperitia autem, & in inscitia utentis ea est. Quis hominem fugiet pacificum, ac neminem facile ledentem: quis uerum canem irascetur probo ac tractabili, qui tamen à quopiam nimium irritatus remordet? aut quem nam ius ciuile mordet ac furca suspendi iubet, furum ipsum, an uero rem furto abstractam? furum credo: quia res ipsa, etsi furtiua facta sit, tamen per se bona remanet. Sic quoque nullo modo scientia aliqua per se bona, utilis ac honesta contemni debet, propter quosdam, qui peius ipsam didicerunt, aut qui inconsultius circa illam agunt. Alchimia autem ars est, tum uecessaria tum utilis, qua carere in Medicina non possumus, comprehendit enim in se artem Vulcani. Et sic quoque scienlum, quid Vulcanus ualeat ac possit. Alchimia est ars, Vulcanus autem est artifex in Alchimia, ergo qui Vulcanus est, ille artem in manu ac potestate sua habet, eam regere ac gubernare, & cum ea arte artificiose agere potest, qui Vulcanus non est, artem perfecte non nouit, nec eius potestatem habet. Circa hanc igitur artem primo aduertere debemus, quod à Deo primum omnia creata sunt, creauit enim ex nihilo aliquid, illud aliquid est semen omnium, & illud semen finem imponit suæ prædestinationi, ac officio suo. Et quanquam ex nihilo omnia in infinitum usque creata sunt, nihil tamen usque adeo finitum ac absolutum est, ut in eo nihil amplius desideretur. Creata quidem sunt omnia ac finita, sed tamen non ita finita, ut quibus nihil desit, non ita perfecta sunt, aut absoluta, ut ad rectum finem ac terminum, uel ad extremam perfectionem peruenerint. Relinquitur enim aliquid Vulcano perficiendum, ac finiendum prorsus. Omnia tamen ita creata sunt, ut ad nostras manus perueniant, & in nostra potestate esse incipiant, ita tamen, ut non perfecta, sed perficienda, non ut absoluta, sed manibus nostris absoluenda. Prima in illis materia perfecta est quidem, media autem & ultima perficiendæ restant. Arbores ac ligna crescunt, & uti ligna perfecte crescunt, non tamen carbones crescunt, imo redigenda adhuc in carbones sunt, opera no-

D iij fra.





L A B Y R I N T H V S

stra. Lutum uel Argilla quidem ultro crescit, & perfectè quidem non tamen crescit ut ollæ & alia uasa fictilia fit, sic de omnibus nascentibus. Videndus igitur & cognoscendus est Vulcanus, quis nam fit, & quàm necessarius sit tali exemplo. Ferrum Deus creauit, quale autem? non quidem quale esse debet, non enim calces ferreos, equis, non lanceas ferreas, non arma ferrea militibus apta, non falces messoribus &c. sed rude ferrum creauit, & in rudi materia iacens creauit, rudeq; nobis id tradidit. Sed cætera in eo perficienda committit ignis, & eius gubernatori Vulcano. Et hoc igitur sic Vulcano commissum est negotium, & ideo qua arte utitur Vulcanus, ars est, & ars quidem perfecta, necessaria ac utilis, imo certa quoq; & non fallax, quia si incerta ac fallax ars est, necessaria non esset. Sequitur ergo iam ex his talis ordo, quod istud rude ferrum primo purgari debeat, & ita ab impura materia, purius quod est, separari, deinde purius ferrum fabro committitur ferrario, qui arte sua illud tractare, & ad quamlibet formam aptum, fingere ac cudere possit, & ignis ferrum mollicans ac liquefaciens, est Alchimia, fabricer autem tractare ipsum sciens, est Vulcanus, imo ut ultro hoc pergamus: Ignis in foco lucens, est Alchimia, in fornace calefaciens, est Alchimia, culinæ autem minister, ignem ordinans ac temperans, item calefactor fornacis sunt Vulcani. Sic quoq; cum Medicina sese res habet: Est enim & illa à Deo creata, sed non perfecta, non ita præparata, ut plane absoluta sit, sed sub terra adhuc occultata, non ab impuriore materia purgata, & id quod restat in ea perficiendum Vulcano, id est, Medico committitur, purgandum scilicet illam à fecib. liquefaciendi &c. ut supra de ferro uidimus. Quas enim oculis herbas cernimus, id non est Medicina. Item quas gemmas, quasue arbores uidemus, non est id Medicina recta ac perfecta. Oculi enim saltem partem immundiorum ac rudem materiam uident, quæ à recta Medicina nondum segregata est, & in qua impurior pars adhuc occultatur. Quid igitur? Impurior pars prius purganda est & abiicienda, & postea Medicina apparebit. Sic igitur Medicinam

M E D I C O R V M.

Medicinam purgare, mundare, dissoluere, meliorem ex ea partem colligere, illud omne inquam Alchimia est, labor ac officium in agendo hoc Vulcani est. Hic igitur Vulcanus pharmacopolam ac ministrum culinæ sic agit, quemadmodum ante fabrum ferrarium agit. Et quia sæpius accidit, ut ex terra purum absolutumq; aurum argentumq; effodimus, sic quoq; Medicina nonnunquam pura, & ab omnibus partibus absoluta reperitur, & tale argentum aurumq; qua à natura absolutum, non magnum negotium requirit in purgando, sed fulminationem solummodo, ac probatione ignis opus habet, quod idem eodem modo de Medicina intelligendum est. His iam sic peractis & sic Medicina parata opera & auxilio Alchimie ut diximus, tunc ista Medicina demum perfecta, ministro culinæ datur, ut sic ægrotanti ad ualitudinem fiat cibus. Ad hanc etiam rem non inconueniens mihi uidetur de pane exemplum adiungere. Exterior ars Alchimie, quæ circa panem coquendo in furno fit, non est tantæ potentie, ut panem ad ultimam ac finalem materiam redigere ac perducere queat, sed ad mediam tantum potest. Natura primam materiam perficit, ut in aristas siliginem, postea Alchimia statim incipit, metendo, colligendo, molendo, in furno pinfendo. Iam prima materia absoluta est per naturam, & media per Alchimiam, restat ultimæ materie perfectio, quæ fit per Alchimiam microcosmi. Sic iterum incipiendo Microcosmica Alchimia, panem tanquam primam iam materiam ad os defert, ibi frangit, mandit ac ruminat, & hoc primum opus est, ac officium: in stomacho deinde media materia fit, dum concoquitur, postea uero dum in sanguinem ac carnem abire compellitur, tertium, Alchimie officium est, & sic ultimæ materie perfectio.

Econtra quoq; alio modo Alchimia cernitur in morbis, nam ipsa infirmitas est prima materia, infirmitatis declinatio, est secunda uel media, mors postea subsequens, est ultima materia. Item putrefactio cadaueris, est primum officium Alchimie & prima materia, consumptio est secunda, puluis ac terra ultima. Sic nam perpetuo cum



quo cum Alchimia nobiscum in creatis à Deo omnipotente, procedit. Et sic ad propositum meum redeundo, nihil in creatione ad ultimam usq; materiam perficitur, nihil absolute planè creatur, quo ad ultimam materiam dico: omnia tamen in primæ materiæ perfectione creantur, postea Vulcanus suo officio fungitur, & istam creatam in prima materia rem, perfectam per secundam usque ad ultimam perducit, ac absoluit, idq; per artem Alchimidicam. Sic iam Archeus, id est, internus Vulcanus sequitur, qui circulos ducit, Geometriam exercet, materiam præparat, iuxta diuisiones ac regulas suæ artis Alchimidicæ, sublimando scilicet distillando, reuerberando &c. Hæ enim artes omnes intrinsecus in homine sunt, quemadmodum extrinsecus in Alchimia. Sic Archeus & Vulcanus, materias separant, & quod nondum absolutum sit, per Alchimiam ad absolutum finem perducatur, absoluatq;. Sunt itaque huius artis multifariam artifices. Nam sunt Alchimidicæ metallorum, qui plumbum à prima impura materia liberant, à ruditate purgant, ut in operando eius usus esse possit: sunt Alchimidicæ mineralium, qui antimomum mixtum in antimomum purum transformant, ex sulphure sulphur reddunt, ex uitriolo uitriolum conficiunt, ex quibus omnibus apparet effectus Alchimidicæ, quia mediante igne, agit, præparat, absoluit, purum ab impuro purgat & mundat. Quamuis etiam non omnia media, quibus Alchimia operatur, ita calida sunt, ut quasi ignis externus urant: tamen propter munus suum, ac officium proprium, ignis uocantur, cum idem in suo genere proportionabiliter agunt. Sic Alchimidicæ lignorum, sunt fabri lignarij: præparant enim ligna ædificijs, ut sint apta. Sic statuarius Alchimidista est, purgans inutilia à ligno, ut aptum efficiatur, ad quaslibet imaginem. Et sic Alchimidicæ sunt Medicinæ, qui ea à uera Medicina separant, quæ uerè Medicina non sunt. Iam igitur uidere ac quasi clarissima luce cernere licet, qualiter sit ars Alchimidistica, talis nempe, quæ superflua ab utilioribus segregat, & rem quamlibet in ultimam suam materiam redigit. Ego autem quòd hæc de Alchimia pluribus differo,

differo, & cur hunc librum interfeco, causam habeo hanc, quòd uideo in pictis, ac multis libris artem nullam esse Alchimidicam. Sed uolendo ac reuolendo, sursum deorsum inconsulte miscendo, & quadrata rotundis mutando, non quidem purgant res sibi purgandas, non mundificant, sed contaminant potius, maculant ac cõquinant, non perficiunt, non absoluunt, sed dissecant magis, disrumpunt ac lacerant, ut sic quoque uariam ac immundam commixtionem sues etiam, nedum homines nauseam ciere facile possunt. Horum igitur inutilem ac abhorrendam operam negligimus merito ac abhorremus, imo & damnamus. Ideo à Deo opt. max. hæc recta ac naturalis Alchimidicæ ars nobis diuinitus data, ac instituta est. Altera autem, qua se immundi, sordidi ac sorditati Apothecarij iactitant, ars non est, sed immunditia mera, qua tamen Syrupi nobis coquantur, laxatiua parantur, composita conficiuntur. Vide igitur quæso quàm pulchras, quàmq; utiles artes Alchimidicas ac Medicas, scripti isti Pseudomedicorum libri nobis proferant, quàm pulchre curatas ac absolutas scientias, simulatores isti ac ficti, uixq; semimedici nobis exhibent: in quibus perlegendis non quidem immerito quis meliorem uitæ partem consumit. Non sic, non sic inquam, crasso modo, Syrupi ac laxatiua coquantur, sed subtilius agendum, artificiosius procedendum, puriusq; aliquantulum Alchimidistica ars exercenda est. In hoc enim hæc scientia Alchimidica inuenta, in hoc nobis data est, ut profit non obsit, munda sit ac pura, non conspurcata, non mille modis inquinata, non deniq; quauis latrina magis immunda. Medicus igitur sic cogitet: Quia Deus creator ab initio nihil absoluti creauit, nihil omnino perfecti produxit, nihil ad ultimam usque materiam traduxit, sed ista omnia Vulcano peragenda commisit, istud officium Archeo subeundum reliquit &c. Ergo nec ego Alchimiam negligam, sed amplectar potius, non Vulcanum depellam, sed ipse potius Vulcanum in mea Medicina agam &c. Videbit enim ille Medicus hac arte non minus in Medicina opus esse, quàm aqua & igne in uita nostra opus habemus, quia imperfe-





Etum perficit, nihil impurum, nil nisi mundum ac syncerum relinquit: quod uel hoc exemplo optime patet: Panis datus nobis est, & quotidie datur à Patre nostro cœlesti, non tamen talis datur, qualem à pistore accipimus, sed imperfectius quiddam, quod ut perfectius fiat, panisq; nomine gaudeat, tres ante Vulcani requiruntur: Agricola scilicet, qui seminet metatq; Molitor, qui conterat maceretq; item Pistor, qui in farinam redigat. Sic quoq; in Medicina fieri necesse est, & sic cum interiore quoq; Vulcano fieri debet. Non igitur pudeat Medicum huius artis Alchimiçæ, nec eam contemnat artem, scilicet ad multa ac magna necessariam, ut diximus. Sin autem eam neglexerit, ac paruifecerit, certissimum id inditium est, cum non esse Medicinæ Doctorem, sed ornatum potius Beanum, & eiusmodi Doctorem, quale in speculo corpus uideri solet.

## SEXTVM CAPVT, DE LIBRO Medicinæ, qui Experientia appellatur, & quomodo Medicus illum discere debeat.



**VI** A igitur Medicus experientiam habere debeat, cum Medicina nihil aliud penè sit, quàm experientia, nempe certitudo eorum quæ agit, Est enim experientia certa, confirmata ac infallibilis potentia agendi in qualibet re, & qui hanc experientiam non habet, id est, qui tali firmitate ac certitudine, in rebus ac operationibus suis non nititur, is Medicus dubitans, imperfectus, ac penè pendens est, non certus, non recte institutus. Igitur de experientia, experimento, ac scientia hoc libro tractare instituimus, ut quid quodlibet istorum sit melius Medicus intelligat. Dico igitur quòd quicquid experientia, quæ quasi indicis officio in rebus agendis fungitur, uel probat uel improbat, id & à Medico probari uel improbari, recipi uel reijci

uel reijci debet. Illa igitur de qua dicimus, experientia, debet cum scientia concurrere ac coniuncta esse: Nam absq; scientia non est experientia. Etsi enim nonnunquam forte experimentum reperitur quod consistat, ac probatum (ut uulgo Medicorum dicitur) sit, tamen illud experimentum mediante scientia, ad experientiam duci necesse est, ut infallibile fiat, & cuius usus frequentior fiet: erit enim tunc ista experientia infallibilis. Sin autem absq; scientia quoque fuerit experientia, tunc amplius ea uti non licebit, quia non experientia recta est, sed experimentum saltem nudum, absq; scientia. Iam igitur diuiduntur ac discernuntur ab inuicem experimentum & experientia, item experientia & scientia. Quia experimentum ad fortem quasi incidit, incertis sedibus errat, nihil firmi promittit, quia nudum. Experientia autem uestita ac munita est, certitudinem in se habens, iuxta ueras ac infallibiles regulas agit. Scientia uero est experientiæ mater, ita ut absq; scientia in experientia nihil fiat, sed sit saltem nudum experimentum, ut exempli gratia. Scammonia purgat, experimentum est: Simphyto sanantur fracta crura & alia ossa fracta, item ruptura, est experimentum: Saphyrus sanat antracem, experimentum est. Hæc quamuis experimenta sunt, sunt experientia reperta, tamen necesse est, propter morborum pluralitatem, ut scientia quoq; adsit, sciaturq; cui morbo tale experimentum, & in quo homine adhibeatur. Nullus enim morbus reperitur, qui non uel secundum membra, uel naturam complexionemq; hominis mutetur. Igitur quia in hoc cautius agendum, & quia differentia morborum, quantitas ac qualitas consideranda est, non experimento certe utendum, sed scientia quoq; adhibenda, quæ scilicet morbum à morbo discernat experimento, quasi uiam monstrat, quo pergere debeat. Et quemadmodum Pyrus uel alia arbor ferens fructum, illud ipsum quod fructum scilicet fert, ex scientia facit, quæ à Deo arbori indita est, & sic per scientiam flores producit, folia emittit, deinde Pyra format. Et hæc in arbore scientia miranda quidem est, quamuis nec homo quidem pingere aut scribere



bene potest, nisi id fiat per experientiam & experimentum. Redendo tamen ad pyrum: Arbor ista, hæc omnia ordine ac mirabiliter faciens, per scientiam facit, istam scientiam per se & suam naturam habet à Deo acceptam scilicet. Id igitur, cum ita singulis annis & perpetuo usq; fieri uidemus, experimentum nobis patet: certum enim credimus, quia uidemus. Scientia autem in nobis non est, experimentum solummodo habemus, quia ita fieri hoc experimur; & illud ipsum quod aliter non accidit, experientia est, quæ quoq; in nobis non est, sed in arbore. Item Scammonea purgat, & hoc facit per scientiam purgandi, quam à Deo in sua natura habet; nouit enim pulchrè quid & quomodo purgandum sit; talis in te quoq; fiat cognoscendo scilicet eam: tunc experientiam tu habebis una cum scientia, experimentum tamen non habes. Sin autem proprietatem, uirtutem, ac totam naturam eius nescias, solum hoc nosti, quid purgat, tunc experimentum tantum habes absque scientia, & sic non aliter Scammoneam nosti, quam Gallus quidam natione, linguæ Germanicæ ignarus, si Germanum sermonem audit, nouit quidem se Germanam linguam audire, qualis autem sit sermo, quæ de re, quid significet, quidue quis loquatur, id ignorat. Sic quoque in experimento sese res habet. Oculi aliquid uident sic esse, intellectus tamen, cur sic sit, non adest, in oculis experimentum tantum est, non experientia. Sic igitur colligendo: Quia summus Deus pyro cæterisq; arboribus hanc tantam scientiam indidit, quanto magis homini eam dabit, si iuxta primi libri doctrinam egregiè studuerit, cogitabit.

Et sic uidemus, quod scientia sit quædam quasi influentia, quæ in natura sepulta ac occultata iacet, quam nos tamen eripere & extrahere deberemus, dum enim iacet, dum occultatur, nil nobis prodest, sed quasi talentum subter terram occultatum, perit, quod fieri non debet, imo nihil tam arcanum, tam abditum nobis uideri debet, quin id eruere ac cognoscere conemur. Quo igitur modo, ac pacto ista occulta nota nobis fiunt? Id quidem Magica ars tribus partibus distincta

distincta breuiter ac methodice nobis ostendit, & arcana manifestat. In schola scilicet Medicorum, Philosophorum, Astronomorum & similibus, Sic enim mediis his, necesse est experientiam in renasci, absq; his autem, mera ac inanis fantasia, & deliratio est, ex qua egregij nobis Fantastæ nascuntur, qui nescio quas subtilitates ingentes, & miras speculationes ostendunt, easq; absq; omnifundamento ac ueritate. Notandum autem iam quoq; est, inter scientiam & experientiam differentia, ultra eam quam supra de experientia & experimento uidimus. Scientia est in illo, cui à Deo diuinitus data est: experientia autem & quasi testimonium uerum de eo, in quo scientia esse intelligitur, ut in pyro: nam pyrus scientiam in se habet, nos autem, quare operationes eius cognoscimus, experientiam habemus ipsius scientiæ, & sic deinde testamur nostra experientia, scientiam in pyro perfectam esse.

Ad hoc autem sextus liber hic ponitur à me, quo talis scientia in nos perueniat, ut similiter patientes ac ægrotantes à nobis curandi, tales nobis sunt curæ ac diligentia nostræ, circa illos adhibita, ut intelligant in nobis rectam scientiam. Quicquid enim plane perfectè, ac iustè naturæ ordine perficitur, id scientia est, ea ubi non est, ibi nec experientia, sed experimentum saltem absq; scientia est, Cur enim sic dico? Accipe hoc, utere, sanabit spero; Ego enim sapius usus sum, & expertus &c. Ecce, nonne hic fateri necesse est, quod experimentum solummodo tentando, & opinando consistit, Nec facile uni sic dicenti, quis fideret, nemo facile ausus fuerit hæc quoq; experiri, ne forte cum periculo experiatur. Si autem dixerit: Hoc fac, hæc sume, sic tibi fiet, sic fructum ex hac re uidebis, quod scio &c. tunc nimirum firmi quiddam, & tunc cum experientia scientia iuncta est, quilibet nostrum ea dicenti fidem habebit. Si igitur multum interest inter experientiam & scientiam, quod tamen non ita uolo, ut experientia & experimentum idem intelligantur. Sed experientiam eam dico, quæ ex scientia proficiscitur, docetur ac sumitur. Sic enim uia in nobis paratur ad scientiam ipsam, incipiendo scilicet





L A B Y R I N T H V S

do scilicet à scientia, nō ab experimento, ut quia scio, quod bombardam incensa grauiter ferit, ac muros turresq; deicit, experimentum fit, scientia autem est, quod istam bombardam dirigere, ac diametraliter aduersus murum ponere queam, ita, ut emissa, non possit murum præterire, non possit à meta illa aberrare. Et hoc facere sciens sagittarius dici meretur: Si autem ita comparatū est, ut unus ictus forte certus fiat, ac feriat, sequentes decem, aut plures postremo incerti sunt, ac murum subter, aut præteruolant, id scientia non est. Et sic uidere licet, quod scientia prior sit, ac præcedere debeat experimentum. Cogitet igitur iam quilibet secum, quod Deus singulis rebus, singula dona donauerit, singula creata singulis suis uirtutibus ornarit, quæ uirtutes sunt scientia. Si igitur arboribus ac herbis scientiam dedit hanc, ut ad finem suum ultro sciat peruenire omni forma ac essentia, quanto magis Medicum scientia donabit? Quod ut rosas ac flosculos campi ornabit, quo dona eius, ac fructus in curando ægroto appareant, cuiusq; scientia perfecta ac absoluta, ultro in multorum utilitates redundet, non secus, atq; pira, pomaq; maturata, in usum nostrum cadere ex arbore solent. Omne donum à Deo perfectum, & omnis scientia absoluta est à Deo, sicut arboris & herbæ uires, uirtutes, ac succum suum à Deo accipiunt, & illa scientia à Deo impetrata, est absoluta, experimentum uero absq; scientia, & experientia absque scientia, non est absoluta nec certa. Quemadmodum enim in piro scientia, ita certa est, ut nunquam uel pomum uel in aliam arborem degenerat.

Sic in homine scientia ita certa est, ut aliter se habere nequeat, quam deinde homo quilibet augere & ad summum exercere pro uiribus debet. Imo etiam conari sedulo, ut Alchimistarum modo ad supremum & ultimum gradum eam exerceat, perducaturq;. Arbores scientiam suam grauitur exercent, donec per folia, per flores, ac longo post tempore ad summum gradum, id est, ad fructus perducant. Sic homo quoq; scientia præditus, illam exercere debet, & augere indies, ut fructum aliquando ex ea habeat. Aliud est, dum ex  
sua scien-

M E D I C O R V M.

sua scientia arbor fructus producit, & aliud, dum iam producti ac maturati cadunt. Sic quoq; differentia est, in crescendo purum, & deinde purgando purum ab impuro. Nam id quod crescit in scientiam uberiorem, non purgatur, quod autem ad iustum modum creuit, id purgatur.

Notandum quoq; omnibus modis iuxta prædicta est, quod quilibet homo ad quiddam nascitur, & quod unicuique præcipuum quoddam donum à Deo datum est, in quo uno manere, illud exercere, & in eo se delectare ac beatum arbitrari debet, nec aliud exposcere. Quilibet enim suæ scientiæ exercendæ ac augendæ sufficit, aliam autem appetendo, frustra laborat, inanemq; operam sumit, quia aptus ad illam non est. Cur enim pyrus optaret, à corylo scientiam addiscere? cur ficus à dumis ac spinis? Frustra enim pyrus laborat corylus fieri, & è contra, quare quælibet scientiam suam nacta est, quam tractet, augeat, ac deniq; finiat. Sequitur igitur, iusto ordine, liber scientiarum, ut eas discamus, & per experientiam in medium proferamus. Et hæc omnia indico ideo, ut cognoscatis, non solum scientiam, quæ in pyro est, sed omnium rerum aliarum scientiarum, præsertim rerum Medicorum, quo intelligatis qualem omnipotens Deus scientiam uitriolatis dederit, per quam ægrotantes sanantur, Vt sic sciam, per quam uitriolus operatur, in uobismet ipsis reperiatur imaginatiue, uti in uitriolo essentialiter est impressa: loquor de impressione luminis nature, ut sunt radij, qui tibi quoque imprimuntur. Decumbentes subleuare, ægrotantibus subuenire, ac morbos depellere, est scientia. Hæc autem scientia in Medico non est, sed in Medicina. Ex quo sequitur, quia scientiam generandi non habet, sed scientiam solum administrandi, & propter administrationem cogatur illam etiam scientiam quærere, quæ in Medicina, & si scientiæ ipsius in illo non minus debent esse, quàm in natura, propter uim impressionis ex lumine Naturæ. Nam ista scientia naturæ si in Medico non fuerit, hinc atq; illinc tendet, iam hoc iam aliud ager, certi nihil habet, nisi de Medicina garriendi facultatem.



cultatem. Sic quidem Medicinæ libri, aliqua ex parte ostensi sunt, ex quibus Medicus bonus se fundare, & suam artem haurire debet, id tamen labore diligenti & assidua inquisitione ac perscrutatione, non inertia, non desidia aut tedio, non Endimionis more dormiendo, ac assatam columbam frustra expectando, non deniq; Sophistica uia, sua subtilitate ægrotum obtruncando. Dabitq; operam, ut frequentes quoq; libros bene cognoscat, quo omni ex parte perfectus fiat, ac omnes Medicinæ libros bene perspectos habeat.

## SEPTIMUM CAPVT, DE NATURALIBUS PHARMACOPOLIS ac Medicis.



**I**A autem negari non potest, quin omnes operationes ac actiones externæ sint quoddam inditium, uel quædam quasi æmulatrix actionum internarum, ac quod externæ ab interioribus proueniant. Inditium enim certum est, quod quemadmodum in externis rebus & inter homines passim natura operatur, sic in homine quoq; sagax ac industria sit, uaria operando & producendo, ut in hoc exemplo uidere licet. Natura ædificauit, posuit, ac fundauit in modo suo Pharmacopoliam, non aliter, atq; in ciuitate quadam Pharmacopolijs uarijs Medicinis, ac omnis generis herbis instructas uidemus. Sicuti igitur in tali Pharmacopolia herbæ colliguntur, Medicinæ parantur & omnia ad hanc artem necessaria inueniuntur, in una tamen plura simplicia, compositaue plura, quàm in altera sunt, item, aliter in una parata custodiaq; quàm in alia. Sic quoq; cum Pharmacopolijs in toto mundo quæ sunt, esse solet. Omnis enim campus, omnis ager, omne floridum pratium, omnes deniq; montes collesq; Apothecæ uel Pharmacopoliæ sunt, quas nobis edificat, ac herbis, Medicinisq; omnibus instruit ipsa natura, & secundum istant Pharmacopolijs

Pharmacopoliam naturæ nostras quoq; si diligentes esse uelimus, instruere debemus. Porro autem in tota rerum natura, una tantum est Pharmacopolia uniuersalis, quæ est totus hic mundus, sub uno tecto, tecta ac comprehensa, & in unius manu posita. Unus enim in illa Pharmacopolia, unus qui herbas colligit, producit ac contundit, unus per totum mundum, qui mortarium exercet. Et omnes nostri secundum illam, & ad imitationem illius, suas quoque instruunt Pharmacopolijs, quæ sunt particulares, non enim uniuersali pares esse possunt. Habent quædam, non tamen omnia: parant quædam, non tamen tam perfecte, quia naturæ Pharmacopolia hominum longe exuperat ac uincit. Hæc cuncta ideo dicuntur à me, ut intelligamus in homine quoq; talem naturalem Pharmacopoliam esse positam, in qua omnia inueniuntur bona ac mala, curantia ac uenenosa, simplicia ac materialia, non secus, quàm in externa illa mundi Pharmacopolia. Hæc cum ita se habent, iam ultra progrediendum est, & sciendum, quod quælibet Pharmacopolia, Medicum proprium habet. Natura Pharmacopoliam habet, quam ipsa ædificauit ac instruit, ergo Medicum quoq; procul dubio habebit, de quo Medico sic ordine uidebimus.

Homo quia naturam imitatur, & qualemcunq; potest ad naturæ uniuersalis Apothecæ imitationem, sibi quoq; particularem instruit, Medicum in illa sua habet, administratorem uel factorem, uti uocant, illum scilicet, cui omnia in ea agenda, perficienda, emenda ac uendenda committit: sic quoque & natura Medicum habet, qui Medicinis utitur, eas ordine dispensat, profert, ac ad ista loca producit, ubi eius usus esse potest, & ubi Medicina maxime opus est. Homo pharmacopola in sua officina uersatur, agit, tundit, ac eiusmodi officij sui munera subit, & est pharmacopola uel Medicus uisibilis. Ille autem qui naturali ac uniuersali pharmacopolie præfatus est, & qui in illa medicum agit, inuisibilis. Et sic post istam æquiparationem Pharmacopolie internæ & externæ, uisibilis ac inuisibilis, sequitur alia de Pharmacopolia, scilicet interna uniuersali, &

F interna.





## L A B Y R I N T H V S

interna particulari. Id enim, quod de uniuersali totius mundi Apotheca & Apothecano Medico uidimus, idem iam de alia uidebimus. Est enim, ut supra admonuimus, in homine quoque Apotheca, ergo in homine quoque inuisibilis quidam Apothecarius & Medicus erit, qui omnia agat, ordinet, dispenset, applicet ac administret &c. Quæ omnia ita esse, nam nobis, quasi ante oculos ponit, admonetque, ut ex hoc libro discamus, omisissis interim nostris friuolis fantasijs, quæ nil nisi uolantes ac mobiles quidam uenti & spiritus sunt. Iam igitur, cur ego talem Pharmacopoliā & talem Medicum describo, accipite. Omnis Medicina creata est causa ægrotantium, & duplex est, interna & externa: externam homo gerit, internam natura, quod ita intelligendum est: Omnis homo, statim postquam ex utero matris exiuerit, & in hunc mundum nascitur, omnibus morbis subditus fit, & ad omnes ægrotudines aptus, imo in se etiam potentialiter omnes morbos habet, etiam in utero materno: & nisi in homine ille internus Medicus quoque esset, qui proprie curat, uix credo infantulum uiuum, aut ad minus sanum in terra nasci posse. Sic igitur qui à natura morbis plenus nascitur, ubi isti morbi sunt, ibi Medicina est, ibi & Medicus est. A natura igitur morbus, à natura quoque Medicus est & Medicina, & sicuti natura homini adiunxit proprium sanitatis destructorem, sic è contra sanitatis conseruatorem dedit. Destructor igitur singulis horis ac singulis momentis, id dat operam, ut destruat ac corrumpat, diligens est ac sedulus, ut citissime pessimis plagis feriat, ac demum interficiat hominem. E contra uero conseruator nature fortiter pro sanitate ac incolumitate eius pugnat, insidias aduersarij destruit, uim illatam propellit, quicquid damni ab hoste accepit, refarcit, & in summa, quicquid deiectum est, iterum ille naturalis & nobis innatus Medicus recuperat. Item destructor, ad destruendum reperit apta instrumenta in corpore hominis, sic ad resistendum illi, alter quoque reperit instrumenta & Medicinam in mycrocosmo. In mundo externo, ædium destructor habet instrumenta sua, quibus deijcit frangitque omnia facile, alter

autem

## M E D I C O R V M.

autem ædificator scilicet ædium, sua quoque habet, quibus in ædificando adiuuatur, & sic ex utraque parte instrumentis ac armis suis parati sunt, alter in austruendo sepem fortis, alter in destruendo æque fortis est. Sic in nostro quoque corpore summa intentio adest ad destruendum, ex altera uero parte item summa intentio ad austruendum: alter ad pernitiem sanitatis nostræ laborat, alter ad ualitudinem conseruandam incumbit. Destructor in corpore nostro, arripit Realgar, & sic ueneno mycrocosmum necare conatur, philtrum sic parat, conseruator uero statim hoc uidens, Antimoniij flores decerpit, ac uenenum depellit. Hoc pacto fit, ut corpus iam ægrotare incipiat, mox iterum reconualescit: patitur enim quotidie hanc controuersiam, ac quasi metamorphosin corpus nostrum, quia hæ operationes & colluctationes destructoris & restauratoris, nunquam cessant, perpetuo enim belligerantur, semper conflictantur, nulla seditionum, nulla contentionis intermissio, nec pacis aut concordie ulla spes est, dum uiuimus: quemadmodum in externo mundo seditiosi & pacifici, mites ac horridi, sanguinolenti ac probi semper opponuntur ad inuicem. Nam ubi firmamenta ac elementa sunt, sicuti in mycrocosmo, ibi discordiam ac concordiam, pacem ac bellum quoque esse necesse est. Cogitabit igitur, ac secum perpendet homo merito, nisi à benignissimo Deo, naturalis cum Medicina tum Medicus & Pharmacopoliā, nobis diuinitus data fuisset, ac in nobis creata, quod propter externam Medicinam, uix uitam attingere, ne dum diutius uiuere ac ualere possemus. Terra, quoties à Solis calore infestatur, ita ut omnino areseat, ac pulueris modo exiccatur, toties refocillationem à pluuijs recipit. Siccitas morbus est terræ, humor imbrium Medicina. Et hæc in externo hoc mundo Deus ita creauit, quæ ad eundem modum in homine, in mycrocosmo hoc nostro, inquam, obseruanda ac notanda sunt, quia eadem ex utraque parte ratio est. Nisi enim pluuiæ terram exhilaret, exiccatur, & nisi in homine pluuiæ internæ caderent, corpus quoque exiccaretur. E contra, si frequentiores, aut fortiores imbres fuerint,

F ij. omnia.



omnia suffocantur, quia, & pereunt, in homine quoque si nimis fuerit pluuiarum usus, suffocabitur, à Sole damnum datur, pluuiæ id depellant, & pluuiarum item incommoda Solis commoditas auferit: Solutilis est ac inutilis, pluuiæ utilis ac inutilis simul, ut diximus. Sicut spero facile est intelligere originem consumptionis, quæ in homine nunquam fit, ut est pthisis, ethica &c. Item originem multarum pluuiarum in homine, ut est hydropifis uel hypofarca, ut quidam eam uocant, & sic de cæteris. Nam pauca solum exempla in medium produco, cum de omnibus docere nimis longum foret, nec huius operis institutum est. Multæ etenim hydropifis, multæ tabes, & alij morbi quotidie naturaliter curantur ab isto Medico & Medicina nobis insita, quam homo non uidet. Sic enim Deus misericors nos suos homines per huiusmodi Medicinam tuetur, & nostrorum curam agit, in omnibus uis nostris, ne forte periclitemur aut moriamur: beneplacitum habet enim in ualitudine ac longiore uita nostra. Nec tamen ille intrinsecus Medicus, de quo modo diximus, solus est, qui sanitatem nostram tuetur, nec illa Medicina sola in ualitudinem nostram creata est, imo est alius Medicus, & alia adhuc Medicina, de quibus quoque paucis dicendum est. Homo quidem à principio in miseris ad miserias, ad pericula & ægrotudines multas nascitur, & quia hoc ita est, duo ei constituti sunt tutores in lumine naturæ, qui eius curam agant, qui eum, si forte periclitetur grauius, adiuuent, quiq; malis aduenientibus, resistent. Unus est intrinsecus ille Medicus, cum sua intrinseca Medicina, de quibus diximus, quæ cum homine simul & concipiuntur, in utero materno, & in terram nascuntur. Ille Medicus tam diu suum officium tuetur, quousque præuiribus id potest, posteaquam autem uires ipsum deficiunt, & ruinam quasi minatur, tunc destructoris uires & fortitudo augentur, ac pergit in homine triumphare, conseruator autem aciem suam uertit ac fugit, istic scilicet recedens, quod ab initio destinatus est. Hoc itaque in destructore augmentum, & in conseruatore diminutio ubi fieri incipiunt, tunc demum necessitas ipsa, alterum tutorem, id est, Me-

est, Medicum externum ad subsidium uocat, eiusque tunc auxilium implorat, qui Medicus tum rem audacter aggrediaur, destructorem sanitatis conetur caute superare, uincere ac in totum extinguere, cogitet sibi in uestigia antecessoris sui, id est, conseruatoris iam debilitati eundem esse, prouinciam sibi commissam fortiter defendendam. Solet enim is secundus Medicus ibi incipere, ubi prior pugnare desijt. Sic itaque Deus omnipotens alterum contra destructorem mittit bellatorem, quem destructorem antea ignorauit: illi alteri dico conseruatori, arma & auxilium ministrat, herbas scilicet ac Medicinam ex terra nobis nata, qua hostem destructorem uel omnino depellat, uel in fugam tantum uertat.

Hæc omnia, inquam, tum fiunt, posteaquam primus internus conseruator grauius uulneratus cadit, ac secundo officium suum committit, tunc demum hic externus alter dux incipit, qui novos milites conscribit, ac exercitum de nouo reparat. Postremo tamen, quia oportet ut fatali necessitati coactus homo, semel cadat, & uincatur, dum constitutum si terminum uincere ac præterire nequit, mors uictoriam obtinet, & triumphat, contra quam Medicus nullus esse potest, nisi is unicus, qui ipsam etiam mortem uicit, & mortuos sæpius resuscitauit, ac quibus hoc facienti potestatem dedit. Videte igitur quæso, ac cognoscite, quid homo Medicus ex hoc libro maioris Pharmacopoliæ ad suam minorem uel particularem sumere ac transferre debeat, & quomodo externus Medicus interiori aliqua ex parte par sit, ac ab illo discat. Item quomodo & quando externus incipiat, tunc scilicet cum internus officium suum deserit. Item Pharmacopola de istis simplicibus, ac compositis certus esse debeat, quibus in receptis suis utitur. Nam hæc si desunt, aut diutius absunt, aut à Medico imperito, secus quam debeant ordinantur, ægrotusque talem nactus sit Medicum, qui non per ostium relictum ingrediat, sed alibi descendat, Apothecariusque quid pro quo in medicamentis ponat, tunc demum ad restim res redit, tunc & extremum periculum decumbens incidit, & nil nisi labor ac dolor undique adest.





L A B Y R I N T H V S  
O C T A V V M C A P V T , D E  
Theorica Medicina, quomodo ista  
accipiatur.

**V**T autem rectius intelligatur, unde Theorica sumi debeat, quæ ad Medicinam attinet, uidendum est prius, quasi in exemplo, unde Theologia, sit interrogando, id est, ubi suam Theoricam habeat. Habet enim eam à Deo, & ideo loquitur ac tractat de Deo. Nam quicquid inuenit in Deo, & in Deo habet, & à Deo accipit, id omne Theologia est, Practica ac Theorica simul: non enim discernuntur ad inuicem: Sic quoque diligenter aduerte: Vbi est Medicina? in natura. Vbi autem morbus est? in paciente. Iam igitur sequitur, quod ex his duobus natura scilicet ac paciente, Theorica Medicinæ constat, quæ est duplex. Prima est Theorica essentiæ curæ, Altera Theorica essentiæ causæ, & ex his duabus una Theorica efficiatur necesse est. Quomodo autem Theorica inueniatur, & quomodo ita apprehendatur, ac calamo & atramento describi queat, animaduertite. Primo necesse est, ut quilibet Medicus Theoricus ex Deo, & de Deo loquatur, ex quo omne principium est, & qui ipse omnia est, in omnibus, & ut sacrosancta Scriptura loquitur, omne bonum perfectum ex Deo est. Ergo Theorica Medicina quoque ex Deo est, quod sacra Scriptura testatur, dicens: Quod Deus Medicum & Medicinam ex terra creauit: Cum igitur creata à Deo perfecta sunt, sequitur quod Medicus & Medicina perfecta sint, & quod malè ualentes Medico opus habent, necesse est, ut ille Medicus perfectus fiat, aliàs enim nihil ægroto prodesse. Medicus igitur, qui uelit Theoricus esse, oportet ut Theoricam ex iusto libro discat: primo ex Deo. Ille enim labia nostra aperire debet, nosque adiuuare in omnibus operibus, quæ in ipsius nomine incipiuntur & peraguntur: nam absque illo, nihil plane potest, prosperum aut bonum esse. Deinde cæteros  
libros.

M E D I C O R V M.

libros, quos hæcenus indicauimus, summa cura perdiscat, cognoscat ac peruestiget, ut nihil plane loquatur aut agat, nisi quod ex ipsis didicerit. Sic erunt Theorica causæ & Theorica curæ coniunctæ & copulatæ, & quicquid ex his proficiscitur, aut theoricatur, erit perfectum ac absolutum, quoniam libri isti ex quibus discitur, sunt absoluti: nam à Deo compositi, à Deo conscripti, ligati & in Dei bibliothecam delati sunt, Dei que adeo præsidio custodiuntur. Non igitur fallacia in illis est, non dolus, non error, non incertitudo, non opinio &c. non deceptio. Hinc Theorica postea in chartis describi & possunt & debent, ita tamen prouide, ut naturæ lumen semper nobis rectam instructionem largiatur, non homo, ut uel hoc modo patet. Iustitiam ac uitam æternam quæ sit, per quem sit, & qualis futura sit, præscriptam habemus in Euangelio & sacrosancta Scriptura, cum omnibus simul ad iustitiam necessarijs, & satis hoc est. Iam autem ipsam iustitiam in chartis membranisque descriptam esse, & in chartis manere, satis id non est, imo uberius progredendum, & alibi quærenda est, apud illum nempe, apud quem est, & à quo istud Euangelium de iusticia primo auditum est, quicquid ut chartis mandaretur iussit. Quæ igitur in chartis descripta sunt, literæ solummodo & characteres sunt, quid autem istæ literæ ualeant, quid nos doceant, & cur hic descriptæ sint, id cœlitus discere à cœlesti lumine accipere debemus. Sic de Theorica ac Practica Medicæ artis sciendum: Quæ quamuis in membranis describi potest, ista tamen scriptura plane mortua est, ac inefficax, sed ex naturæ lumine illuminatione descendat oportet, ut textus libri natura esse intelligatur, sine cuius elucidatione ac intellectu, nemo Philosophus aut Physicus bonus esse poterit. Nemo igitur scriptis solummodo libris incumbat, aut eis nimium fidat, sed illuminationi isti fidat, quæ ex illo descendit, qui ipse lux est, nostrasque fantasias, ac friuolas speculationes missas faciat. Et ut intelligatur melius, quid sit Medicæ religionis Theorica, sic accipe: Theorica Medicina est ista, quæ certe, indubitanter ac uerè indicat originem ac principium, causas, materi-  
as, pro-



as, proprietates, essentiam, ac omnia initia, med:ia ac finem cuiuslibet ægritudinis, item istius ægritudinis curam, scilicet, qua uia, quo pacto ac ratione, quibus remedijs, quomodo succurri ac mederi morbo debeat. Et hæc omnia sine errore & absque omni fallacia. Quemadmodum enim qui semen feminat, si id semen bene nouit, sciet etiam certo quem fructum ex eo expectare debeat. Is qui arborem plantat, si fruticem nouum bene cognouerit, haud dubitat secum de fructu futuro, & hæc est Theorica rustica, & de plantis Theorica, quæ tamen ut simile bene huc quadrat. Item quemadmodum si quis grauiter uulneratus sit, ubi sit, quàm periculosum, & hæc chirurgica Theorica est. Porro autem quid circa istud uulnus euentus sit, si Medicina non adiuuetur, quale futurum sit, si adiuuetur, hoc scire est quoq; Theorica chirurgica. Postremo quomodo purgari ac sanari queat, quibus unguentis aut emplastris, quo pacto in sanando procedendum, id est Theorica practica chirurgica. Et quæ iam de uulnere ac supra de semine diximus, eadem de omnibus alijs morbis intelligenda sunt, ut sic ordine & serie quadam fundamenta Theoricæ ponantur.

Quilibet morbus ex semine oritur, si autem diutius crescit, in arborem exit, ac fructus progenerat, sic gladius, lancea aut ensis, est semen uulneris, & omnia quæcunq; sunt, ex semine sunt. Sequitur igitur, ut Medicus semina omnium morborum perfectè cognoscat, & tunc demum scilicet ac commode Theoricam exercebit, artisq; suæ fructus non aliter atque agricola quispiam metet, de quo etiam fructu tam certus debet esse Medicus, quàm agricola est de suis sementis ac messibus, quod si non est, certum erit eum in errore uersari, & alios secum errantes ducere.

Multi hucusque multa, & diligenter fortassis scripserunt, de origine ac causis morborum, & adhuc scribunt quidam, quæ tamen re uera, nihil sunt, & nullius prætij æstimanda, suntq; à principio usq; admodum inutilia, quæ de tempore ac crisi tradunt, ea uera quidem sunt. Os enim ægrotantium hoc loquitur, oculi hoc uident, aures.

aures audiunt & testantur ita esse. Ad initium ipsorum, fons & origo, error est ac deceptio. Donec enim non à semine initium proficiscitur, & à semine Theorica incipiat, humoresq; abijciantur negliganturq; error est merus, ac labyrinthus merus. Non enim recte ex humoribus theoricitur, etsi enim in morbis mali humores adesse cognoscuntur, isti tamen à morbo sint necesse est, non autem ab humoribus morbus. At, inquiunt, quia uidemus quod humores prædominantur, ergo causæ sint oportet, non conceditur. Finge enim aliquem in fluxum uentris incidisse, qui plurimas sedes habeat, easq; gilui coloris, crocei aut rubei coloris &c. quod cum uides, cholera inquis, hoc efficit, cholera in causa est, obliuisceris igitur hic recte Theoricæ, nempe quod semen adsit, & illud semen iam creuit, ac talem materiam progenerat. Semen illud dico, ex seipso est, in fel autem atram bilem delapsam forte, fel exercet, ac etiam præcipitat, non adest igitur in stercore fel, sed color fellis adest. Quid igitur? Materia seminis felle colorata est, quemadmodum uinum terræ nonnunquam aliquem saporem in se retinet, non tamen ideo istud uinum ex terra esse dicitur, imo ex uuis: uuæ ex palmitibus: palmites ex uite, uitis autem ex semine suo est. Vbi igitur hic terra, aut ubi humor melancholicus? Si quis in hydropisum incidat, Epar, inquis, debilitatum est, ac frigescit, & igitur ad hydropisum inclinatum est. Hæ rationes mihi credemulto leuiore ac infirmiores sunt, quàm ut ueram tibi causam elicerent. Sin autem dixeris: adest semen metheoricum, quo resoluatur in pluuiam, pluuiam iam à summo suo loco, per media interstitia cadit, ac stillat ad infimum usq; & sic, quod semen metheoricum antea erat, iam aqua est, iam lacus, iam piscina est, hæc quidem uera dixisti. Quemadmodum enim in aëre euenire uidemus, cælum iam serenum est, ac purum absq; omni nube, mox autem exoritur aliqua exigua nubecula, quæ crescit ac augetur ita, ut in unius horæ spatio imbres uel grandines, aut fulmina ex ea parua nubecula progrediantur. Sic igitur circa ægritudines theorisandum nobis est, ex fundamento scilicet Medicinæ, ut

G dictum est,





L A B Y R I N T H V S

dictum est, & qui sic theoretari uelit, diligenter legat ac perdiscat  
 necesse est rectos ac ueros Medicinæ libros, non tantum horum,  
 Galeni, Auicennæ, Auerrois, Trusiani, Mesuæ, Guidonis, Rogerij,  
 & eiusmodi farinæ aliorum, imo principales ac præcipui libri per-  
 legendi, isti, quos Deus ipse scripsit: nam sunt correcti, sunt perfe-  
 cti, & ab omni errore emendati. Felix igitur ille Medicus, qui in  
 istis solum uersatur, ac ambulat; ambulat enim in luce, non in te-  
 nebris. Non tamen hæc dico, quasi Medicina sola his libris com-  
 prehendatur, de quibus nos dicimus, imo, Theologia quoque suos  
 libros in Dei Bibliotheca positos, & à Deo scriptos habet, ex qui-  
 bus fundatur. Imo nec ulla in arte, perfectio ulla, aut fundamen-  
 tum firmum reperiri potest, nisi ex istis libris sumatur, qui ex Dei  
 ore processerunt. Cogitur enim Iureconsultus ex his libris de iu-  
 stitia sua instrui, & non ex seipso. Nam quicquid in istum Dei li-  
 brum non ingreditur, in legem naturæ ingrediatur oportet: ergo  
 uel ex lumine naturæ suos libros Iureconsulti sumant, necesse est.  
 Sicque quæ ad Deum pertinent, & quæ ad naturam pertinent, ex  
 utrisque simul decerpi ac colligi debent, non ex nosmetipsis. Hoc  
 pacto Deus omnipotens in omni arte ac scientia primus Author,  
 summus Doctor, perfectus artifex, correctissimus liber, ac textus  
 noster existit, ex quo discamus. Deinde glossæ quoque ex illo, quem  
 nobis pro summo suo in nos amore, ad diem Parasceuæ misit, pro-  
 cedere debent. Non enim Spiritus sanctus, Apostolus solus est &  
 Theologus: imo scriptum de eo habemus: Ipse nos de omnibus re-  
 cte instituet ac docebit, Qui enim omnia nouit, & omnia compre-  
 hendit, comprehendit quoque Medicinam, Philosophiam ac Astro-  
 nomiam, & ex eo ista omnia discere & haurire poterimus,  
 cum absque ipsius doctrina, omnia manca, mor-  
 tua ac inutilia sunt,

Nonum

M E D I C O R V M.

NONVM CAPVT, QVOMODO  
 Medicina inueniri debeat, non per speculationes,  
 sed per certas ac manifestas demon-  
 strationes.



VANDO QUIDE Migitur Medicina ex cer-  
 to fundamento procedere debet, quod fundamentum,  
 non inanis quædam ingenij nostri speculatio sit, sed  
 certa, manifesta, demonstratiua doctrina: primò scire  
 debemus: Omnes egritudines occultas esse: Item Me-  
 dicinam occultatam esse, & istorum duorum nullum esse, quod ab  
 homine, agi, aut inueniri queat proprijs uiribus, necesse tamen esse  
 ista omnia agi per sydereum corpus, ut illud sydereum scilicet cor-  
 pus in naturam penitus introspiciat, penetretque, quemadmodum  
 Sol, utrum aut aqua perlucet ac penetrat. Deinde sciendum quoque  
 qua uia ac modo occulta ista effodiantur, eruantur, ac inueniantur,  
 quæ homini inuisibilia plane sunt. Et uidebimus, quod non alia, nisi  
 per Magiam, & per eius species, ut per Gaballiam, & per Gabalisti-  
 cam &c. nobis manifestantur: per istas enim scientias, omnia quæ  
 arcana aut occultata sunt in natura, manifestantur.

Est ergo admodum necesse ac æquum, ut in istis Medicus in-  
 structus ac doctus sit, sin minus id, errans ac falsarius Medicus, qui  
 ad fallacias quàm ad ueritatem intentior est, quod etiam re ipsa pa-  
 tet. Nam Magica ars est Anathomia Medicinæ. Quemadmodum  
 enim lanis bouem suæ mæctat, excoriat, sciindit, omniaque tum  
 intestina, tum cetera membra oculis proponit, ut inspicere totus tau-  
 rus queat, quod antea, dum corio tectus, fieri non poterat: Sic Ma-  
 gica quoque omnia corpora Medicinæ anathomizat, in quibus reme-  
 dia recondita sunt, nobisque ea quæ in sunt, quæque occulta erant, spe-  
 ctanda proponit ac exhibet. Et quemadmodum in hominis, aut  
 alio corpore singula membra bene ordinata ac proportionata sunt,  
 G ij hoc in



## L A B Y R I N T H V S

hoc in dextro, alterum in sinistro latere iacens, hoc maiusculum, alterum minus apprens &c. uti hæc omnia in physica Anathomia ostenduntur: Sic quoq; in herbarum corporibus membra distincta sunt, hoc enim cor, hoc epar, alterum iecur &c. appellatum, sicut in corpore. Non tamen ita hoc, ut quod in herbis cor dicitur, simile sit forma ac effigie hominis cordi, sed quod uirtute, proprietate, efficacia, actione ac passione hominis cordi æquiparatur. Exempli causa. In uento plures sunt uirtutes ac proprietates, unam saltem iam ad propositum, uentus, ponamus, exiccat, nemo tamen oculis uidet, quomodo siccat, Sol calefacit, à nemine tamen animaduertitur, quid id sit quod calefacit, è filice ignis excutitur, nemo tamen ignem in filice agnoscit, nec ad tactum filicis, ignis urit, sic in quolibet corpore, multiplicia membra sunt, unum corpus constituentia, & sic unica herba multiplicis uirtutis sæpe est, ut in Eramento uidere licet, ubi septem membra distincte sunt posita, quemadmodum in homine, cor, renes, stomachus, pulmo &c. non tamen sunt membra, sed eiusmodi proprietates ac uirtutes, quæ talia membra nobis repræsentant, non corporaliter operando, sed uirtualiter agendo, non quæ manibus tanguntur, sed quæ animo cognoscuntur. Sic quoq; in Lunatica repræsentatur cursus ac corpus plenilunij, non tamen uisibiliter, sed spiritualiter. In spiritu enim Medicinæ habitant, non corpore: differunt enim corpus & spiritus, ut palam est. Sic in carabe herba, sunt quædam membra mycrocosmi, scilicet, non tamen corpore, sed in remedijs, id est, in spiritualibus.

Quia igitur Medicinæ, quibus ægrotantes sanari debent, ut diximus, spiritus sunt, & occultatæ corpori hoc elementato, & à sydereo tamen corpore cognoscuntur, sequitur quod Magica ars sit magistra, præceptrix, ac doctorissa Medicinæ, eorumq; quibus morbos depellimus, non autem Galenus, non Auicenna, aut tales. Et quia sæpius Medicæ artis mentionem feci, tum in his, tum in alijs meis libris, ualdè uelim, ut diligentius circa eam uersaremini, quo pacto plane fieret, ut magnum amorem sui in nobis excitaret. Est

## M E D I C O R V M.

ret. Est enim omnino diligens, sagax ac sedula omnium nobis occultarum rerum, peruestigatrix ac inuentrix. Quapropter & hoc affirmare ausim, si hanc artem homo Medicus perdidicerit, ac perfecte cognouerit, & si postea omnis Medicinæ iacturam fecerit, & omnes scriptos libros ad medicam facultatem pertinentes casu amissi fuerint, ut sic Medicina tota extincta uideri possit, tamen hoc libro extante, id est, Magica arte adhuc florente, nihil periculi fore: superesset enim adhuc liber iste tum Medicinæ tum aliarum arcanarum rerum inuentrix, ex quo damnum illud facile resarciretur, Medicinaq; de nouo instauraretur. Est enim, ut supra dictum, Magia artis Medicæ Anathomia, quæ tamen non id agit, ut membra raparum, lignorum, aut herbarum oculis uidentia nobis proponeret, quemadmodum illud in corporis Anathomia externa fit, sed quæ uirtutes, proprietates ac uires herbarum nobis intelligendas ac cognoscendas exhibet. Et ista Anathomia inueniendi artes, primo nobis indicat signatum: signans autem signati indicatur per artem Gabiliam, quæ species est magicæ & pars Astronomiæ. Et hæc ars inuentrix, non una saltem uia intelligenda est, quasi uno tantummodo inueniat, sed de omnibus Astronomiæ ac donorum speciebus intelligatur necesse est. Cuius cum multiplicia membra, ac uariæ species sunt, omnes tamen ad Magicam attinent, & simul inuentrices sunt, & expositores, siue interpretes Anathomiæ, scientiarum, artium & medicaminum. Sequitur, & necesse est, ut istæ species & membra uisibiles efficiantur, in operatione Astronomica inuentionis. Nam sicuti Solis ignis uisibilis efficitur per ChrySTALLUM, ignis qui in filice occultatur uisibilis fit ad tactum & concussionem calybis, sic Sol magicus uisibilis redditur, per ChrySTALLUM MAGICUM, & ignis magicus excutitur per calybem magicum. Iam igitur ardet Anathomia, & ostendit nobis ignem, spectanda nobis exhibet omnia in quolibet corpore, tam clare tamq; dilucide, ut Solis radij non clariores apparere queant, nec ex filice elapsus ignis, lignisq; admotus, fortius uret, aut splendidior appareat. Nam & hic

G iij      magicum





L A B Y R I N T H V S

magicum lignum incenditur, id est, arcana herbarum incenduntur tanquam ignis, ut uirtus clare appareat, sciaturq; ad quid quodlibet proficit.

Iam autem, quam quæso enixe hætenus conatus est, & quos labores suscepit, quam uariâ etiam consilia iniuit, mille artifex ille Sathan, ut hanc Anathomiam hominum ab oculis amoueret, & ex memoria eriperet? Inuenit interim nugas, & nescio quæ superstitiosa deliramenta, quibus etiam magicæ nomen indidit, ista hominibus pro ueris exhibuit, ut sic rectæ magicæ obliuiscerentur, ac nugis incumberent, fallacijs delectarentur, tempusq; omne quasi fabulis inutilibus transigerent. Sic enim hanc artem oppressit, ut multis annis uix à paucis intellecta fuit, ac pene odiosa effecta. Nouit enim is, quod qui nihil cognouit, nihil amat, & homo planè ignarus, nihil intelligit, & ad nullam rem utilis, negligatur, è contra, qui intelligit, amat, cupit, animaduertit, laborat ac discit. Ab ista igitur cupiditate & auiditate, & ab isto inquam amore discendi, egregie nos mille artifex abducit. Nouit enim & hoc de homine, si de his arcanis quicquam audierit, quod amore erga ea concepto, non conquiescat nec desinat, donec ea apprehendat, & quod toto pectore, hunc librum, in quo talis thesaurus indicatur amplexurus sit, è contra, si harum scientiarum, ac eiusmodi arcanorum ignarus fuerit, quod otio ac hebetudine denique corruptus, aliud, & peius quidem acturus sit. Quod & uerum comperimus. Quoties enim homo à scientijs alienus est, tunc secundum suam propriam scientiam, id est, secundum hominis affectum, operatur inebriando se, scortando, crapulis incumbendo, ludendo, belligerando, dormiendo &c. Hoc enim certum, & absq; dubio est, qui Deum non cognouit, nec amat eum, nec discit de eo, & qui diuinam trinitatem non intelligit, non credit eam esse, & ideo non diligit, qui Sanctos non nouit, non diligit eos, & qui naturam non perspectam habet, non diligit illam, & in summa, quilibet id non solum non amat, cuius cognitionem non habet, sed etiam fugit, contemnit, nec discendum putat: corpus solummodo

M E D I C O R V M.

lummodo externum curat, uentremq; suum Deum colit, respicitq;: quanto plus autem scientia ac cognitio alicuius rei crescit, eò magis amor erga eam augetur. Omnia enim in cognitione iusta sita sunt, omnia ex ea manant, omnesq; boni fructus ex ea ad cognitorem redeunt. Cognitio quoq; fidem dat, qui enim Deum cognouit fidere ei statim incipit, & cuiusq; fides, ut est, talis etiam cognitio, & è cõtra. Sic in Medicina quoq; quilibet tantum audet, & tantum efficit, quantum antea, in & circa naturam cognouit, qui uero nihil in ea cognouit, nec efficit quicquam, sed quæcunq; egit, sic agit, ac ferme ptingit, quasi pictor imaginem pingens, ubi uita & uis nõ inest. Et de hoc quomodo scientia magica uisibilis efficiatur, quamuis alibi multis in locis, & hic quoq; ad saturitatem usq; ut mihi uidetur, dixerim, tamen ut plene à legente intentio & animus meus intelligatur, uisum est breuiter ista reperere, sic scilicet dicendo: Quod artium aliarum, omniũq; adeo occultarũ rerũ inuentrix magica ars est, decerpta ac sumpta ex omnib. speciebus. Astronomiæ. Et quemadmodum magi ab oriente per hanc inuentricem, stella uiam monstrante, Christũ puerum inuenerunt, sic quoq; artes, & nature arcana inueniuntur, quæ aliquantulum etiam clarius per hanc artem lucent, quam ullũ corpus lucidum. Et cũ reges isti magi, Sabæ ac Tharsis &c. non dubitarunt, tam longinquo ac difficili itinere, Christum quærere, quin etiam, quãuis longissime remotũ, tãdem inuenerũt, certe nature thesaurus multo citius, & minore tũ labore tũ piculo inueniri potest.

Ab oriente quidem omnia magicæ artis principia oriuntur, à Septentrione nihil commodi aut boni nobis nascitur. Vos igitur Medici, si Medici esse, uestrumq; nomen legitime tueri uelitis, facite id quæso egregie, iusto modo, dignitate ac reuerentia, non illotis pedibus, suum rapas in agro quærentium more, ad hanc rem ingrediendo. Cogitate uobis cum homine, cum creatura inquam Dei, ita agendum esse, ut profis non oblis, & uti Deus ipse in suo libro de Medicina præcepit, sic caute, pie, sancteq; in omnibus procedendum, uti ipse præcepit, uiamq; ac modum præscripsit.

Decimum



L A B Y R I N T H V S

DECIMUM CAPVT, DE DE-  
cimo libro, Quomodo Medicina à prima materia  
ad ultimam perducatur.



**V**AE LIBE Tres crescens, primo absque forma est, in prima sua materia, & pene nihil est, ut in quercu, pinu, fago, abiete, & similibus arboribus uidere licet: quæ omnes primo semen tantum, & pene nihil fuerunt, respectu istius, quod nunc sunt, arbores scilicet. Semen autem istud, dum in terram seminatur ac plantatur, quamuis antea exiguum, tamen necesse est, ut in terra prius putrescat, aliàs enim nihil ex sese produceret. In putrescendo igitur, corrumpitur omnino, ita quod antea exiguum erat, aliquid tamen, semen nempe, postea nihil fiat, quia nec semen amplius, nec quicquam aliud manet. Ex isto igitur, quia sic semen, exigua res putrescit ac quasi euanescit, apparet quod ista corruptio ac putrefactio arborum prima materia sit, quæ prima materia ingreditur in generationem, ac formari incipit, & sic arbor ista, primum initium in terra habet, secundum supra terram, & postea supra terram se diuidit in uarias formas, eò usq; donec id efficiatur, ad quod tenditur, & quod esse desideratur, arbor scilicet. Nec enim simul statim nascitur omni forma, qua debet esse perfecta: Infantulus quidem perfecta ac absoluta forma in terram nascitur, quamuis iusta quantitas adhuc deest, & crescere eum adhuc oportet, quæ crescentia fit, quemadmodum in alijs è terra procreatis, indies ab una forma in aliam fieri consuevit. Sic quoq; ut ad propositum redeam, Medicina in herbis, in quibus est, suam originem habet, suum incrementum ac maturitatem sumit, non tamen ita crescit, ut statim perfecta fiat, & iustam formam habeat, sed cum forma à primo semine accepta, indies accrescit, donec ad perfectum creuerit. Forma enim eius se in ætates diuidit, & sicuti homo primo natus, ac in cunis uagiens, infans appellatur,

M E D I C O R V M.

pellatur, sic forma quoq; primo in rebus crescentibus, deinde ad alteram ætatem crescit, & puer dicitur, dum incedere potest, nec tamen ad ullam rem gerendam aptus, sic similiter in forma & Medicina, postea robustior fit, & ad omnia gerenda aptior &c. Quæ ætas adolescentia, uel uirilis ætas uocatur. Sic quoq; crescentia indies magis ac magis augentur, plus indies incrementi sumunt, & uirtute ac forma, semper firmiore existunt, efficiunturq; usq; ad finem. Deinceps autem senectus incipit, ac debilitare uires incipiunt, & sic quemadmodum ex infantulo paruo in adolescentem & uirum egregium quis creuit, sic post adolescentiam decrescit, uiresq; iterum amittit, usq; ad finem, & Medicina quoq; sic crescit, à prima ætate ad mediam, à media iterum ad ultimam in suis gradibus, & sic uires uirtutesq; in ea adsunt, crescunt, augentur, fortissimè sunt, ac mox iterum debilitantur. Præterea sciendum, quemadmodum omnes herbæ, ac omnia corpora, quibus Medicina inest, formata sunt, sic omnis quoq; Medicina, quæ in corpore est aliquo, secundum illud formata est. Altera forma uisibilis est, illa scilicet in corpore, altera inuisibilis, ut illa in Medicina: una corporalis & elementalis, altera spiritualis ac sydereæ. Ex quo quoq; colligitur, quod quilibet Medicus herbarium suum spiritualem sydereum secum circumferre semper debeat, ut sciat ista sydereæ Medicina cuius formæ nam sit, sicut hactenus multis exemplis ostensum est. Medicina enim quæ sumitur spiritualiter in sua essentia, quàm primum in corpus hominis delata fuerit, in sua forma stat, sicuti Iris in cælo, aut imago aliqua in speculo, Si igitur pedum formam habet, ad pedes tendit, si manuum, ad manus pergit, si capitis, in capite consistere conatur, Sic de dorso, sic de uentre, corde, iecore, hepate, & alijs membris. Et ut clarius dicam: Finge radicem esse, quæ in sydere suo corpore contineat omnia membra corporis humani, hæc igitur radix, si sumitur, in homine sic stat, ut in omnia membra sibi consimilia, sese diuidat ac effundat, ut caput ad caput, cor ad cor, stomachum ad stomachum applicetur &c. Sic quoq; sanant ubera mulierum, si in potu sumuntur,

H tu sumuntur,





E A B Y R I N T H V S

ra sumuntur, quia forma ipsarum est tanquam uberum & mamillarum, & sic semper Medicinæ forma tendit ad membrum sibi conformatum. Sic Dactiletus haustus cancro medetur, quia forma eius cancer est, & in corpus cum uenerit, accomodat se illi membro, uel loco, ubi forma eius requiritur ac desideratur. Nec interim hoc prætereundum est, quod omnes morbi chirurgici, per physicas Medicinas sanari etiam possunt, si physicus inquã, Anathomiam essentialiter intelligit, cuiusmodi physici pauci quidem reperiuntur. Sæpius autem audiui, dum de dirigentibus ac directorijs, id est, de addimento uel augmento, siue de duce ac uehiculo, quo Medicinam in locum sibi congruum deducunt, dicerent, quæ ipsa etiam uana, & absq; fundamento sunt. Dicunt Saluiam, Lauendulam, ac Maioranam esse uehicularia, siue ducentia ad caput, quæ ita cæteram Medicinam in caput ducunt: quemadmodum dux quidam, ducens aliquem, aut qui uiam alicui uiatori ad ciuitatem forte monstrat, quod equidem minime probo, neq; Medicum est. Non enim sic duci debet ab alio Medicina, imo eiusmodi debebat esse, ut suapte sponte & uirtute formæ suæ, membrum sibi aptum, ac conformatum peteret. Ut ecce, Eufragia habet imaginem & formam oculorum, ex quo colligitur, quod in Medicina sumpta, ad membrum suum se conferat, in membrum, scilicet, suæ formæ, sic, ut Eufragia in oculum transeat, oculusq; quasi uiuus fiat. Quæ iam, quæso, alia Medicina efficiet, & Eufragiam ad oculum ducat inuitam, aut uiam ei commonstret, melius quàm ipsa per se nouit: omnia certe membra formas suas habent rebus crescentibus insitas, etiam gemmis, metallis, ac mineralibus &c. & in quocunq; corpore essentia aliqua est, in eodem & forma illa, si essentia illa sumatur, est.

Sic enim natura mycrocosmi istam imaginem in homine ponit, & sic Medicina ad locum sibi aptum ac conuenientem, ultro prouenit. Nam sicut statuarius, lignum rude, ac nondum formatum, in manus sumit, & siue magnum id sit siue paruum, imaginem ex eo, qualem uelit, format ac sculpsit: Talis statuarius quoq; est, qui quodlibet

M E D I C O R V M.

libet corpus in suam formam redigere nouit. Cibus quando sumitur, ipsius forma in ore est, natura autem est in archimjs uirtutibus. Oportet igitur, ut ad quodlibet membrum in homine ducatur. Quomodo hoc? Recta physica, & rectum naturæ lumen probat, quod cibus, posteaquàm in essentiam suam redactus est, positus sit, ac stet in forma, quasi imago quædam integra, in toto corpore, quælibet pars in sua parte, quodlibet membrum in suo membro, & quodlibet simile in suo simili. Et cum dicitur, homo tibi, sic quoq; uinum potum, quando peruenit ad suum spiritum, tunc uini spiritus erectus in corpore nostro stat, uti homo in singulis membris. Ad hunc modum, & talis omnino Medicina quoq; est. Vbi igitur ægritudo est, ibi Medicina formam suam, essentiam, ac proprietatem habet. Hoc itaq; artis est, ut homo spiritualis, essentialis, ac medicinalis in isto loco, ubi cura est, cognoscatur: est enim homo cancri, homo lupi, homo piscis, homo febris, homo hydropisis, homo profluuij, homo menstrui, homo uermium &c. & sic omnium membrorum. Medicus igitur ignarus, ubi sydereus iste homo in elementatis corporibus iaceat, omnia contra rectum Medicinæ ordinem agit. Quomodo enim fieri potest, ut quælibet Medicina, proprium ducem, ac uiam monstratorem, uel ut uocant, dirigens, ad quodlibet membrum habeat. Stulentina pota, sanat paneritium ultro, quia forma eius hoc in loco curam sibi suscipit, quis igitur ductor, aut quod nam ducens illud est, quod Medicinam in extremum usq; digiti perducatur? non igitur ducentia, sed formæ duces in Medicina erunt, & illud ipsum quod tales formæ sunt, ipsa, inquam, formæ similitudo duxerit, sic enim rectè procedetur, & sic rectè Medicina paratur. Alter autem medendi modus anilis est, simplex ac piger, qui parum artis in se habet, & parum artis parumq; laboris desiderat, ex scriptis & chartaceis libris facile colligitur, non ex recto ac principali libro sumitur. Hoc enim uere est Medicinam scire, ut sciatur, quomodo ex prima materia ad ultimam perueniet, & eò cum uenerit, quomodo spiritus efficiatur omni formæ aptus, quales in elementato cor-

H ñ pore



pore formæ esse solent. In ista forma spiritus sunt ac iacent arcana & magnalia Medicinæ, in ista inquam, uera scientia iacet. Hæ imagines & formæ, de quibus dicimus, quæri ac inueniri debent per supra dictam inuentricem magicam artem, de qua superior & quartus liber nos docet. Archeus enim naturæ hunc spiritum in formam suam ordinat, cum dispositione ac diuisione omnium arcanorum, quæ in ipso sunt, aut esse debent.

Sic & hoc modo Anathomia medicaminum inueniri debet, non in compositis, non in communibus, non in directoribus ac dirigentibus. Sic etenim omnia in natura nostræ congrue ordinata ac disposita sunt in formam spiritualem, ut uix tute ingenio tuo melius, aut conuenientius disponere credo queas, neq; tuo labore adeo opus est, iam enim inuentum ac dispositum est à natura, nihilq; super est, nisi Alchimia adiuuetur, quæ diuidat, ac species discernat. Et igitur antea admonuimus, ut proprietatem membrorum ac fortunarum communium penitus cognoscas, quo facto, meritò de Medica arte gloriari & meritò tuam scientiam attollere laudareq; poteris. Animaduerte solummodo rem sic, in tali exemplo pono. Dicit quispiam, hoc constrictiuum est, nescit tamen ille bonus uir Medicus, quomodo aut ubi constringat: multum enim interest inter constringere & constrictiuum, cum aliter constringatur dissenteria, aliter lienteria, aliter uomitiua fiant, aliter urinæ prouocatiua, aliter menstruorum, & sic de omnibus intelligendo. Necesse etenim est, ut à sola forma ac imagine nobis indicatur, ut ubi uirtus constrictiua posita est, ibi id constringat. Sic igitur dicimus: hoc incarnatum est,

nescis tamen ubi. Aliud enim est consolida lupi, aliud est romeni, aliud concri, aliud fistulæ &c. Igitur ars, quæ signata dicitur, quoq; apud Medicum esse debebat, certa ac cognita: Signatum enim nobis locum indicat, locus autem paupertatem, miseriam ac necessitatem ostendit, & ista necessitas per inuentricem nostram inuenit.

## VNDECIMUM CAPVT, ET est liber de morborum generatione ex uera atq; genuina Philosophiæ cognitione.



**S**UPEREST unum adhuc declaratione dignissimum, nempe de cognitione morborum, secundum Philosophorum sententiam. Est itaq; nobis omnibus prospectum, quatuor humores à ueteribus Medicis traditos iuxta Philosophorum relationem esse, qui inquirunt, omnes morbos ab ipsis oriri, & inde initium sumere. Quo fit ut ueram originem morbi amittant, & non recordantur, hoc est seminis, ex quo omnes morbi generantur. Nec mirum est, scio equidem hominem esse mycrocosmum, propterea necesse est, ut in se quatuor elementa habeat, quos ipsi humores appellant, quamuis significantius esset, ut elementorum nomen seruaretur. Daret enim plenior intellectum, sed tamen propter nomen non opus est multis uerbis. Cæterum ut planius me intelligatis, & hic liber in opus redigatur, animaduertendum est, quid istud exemplum nobis designat, dum quatuor humores sunt quatuor elementa, unde consequens est eundem esse in humoribus & elementis intellectum. Vobis itaque haud dubie cognitum est elementa nihil operari, solum autem concipere, Quemadmodum mulier sine aliquo uiro non imprægnatur, ita elementa ut foeminæ foecunda fiunt à suo uiro, hoc est, à summo Vulcano, ut exemplum declarat: Pomum è suo semine crescit, quod semen est pomum, & sperma Vulcani. In his autem elementis concipit matricem, ex qua accipit suum nutrimentum, substantiam, formam, & totam uitam, & huc peruenire potest, ut id quod fieri debet, fiat, secundum suum finem & prædestinationem, quemadmodum infans perfectè à matre nascitur, ita hæc elementa non sunt morborum causa, sed semen, quod in eos conijcitur, ita elementa non sunt causa morborum, sed semen quod feritur in ipsa, atque in

H iij      hsdem





hisdem radices agit, in suam finalem naturam & materiam, è quibus & nos prouenimus, ita morbi quoque causantur, & id quod prouenit est morbus ipse. Cogniturus morbum ita ut arborem cognoscat, ea forma, arbor profert poma, pyra, nuces &c. talis est etiam differentia inter morbos. Ita cognoscendi sunt morbi, è natura seminis, & non ex humoribus, quamuis infans è matre nascatur, tamen pater est causa efficiens. Ad hoc, quis concluderet, uel concederet morbos esse inquirendos ex humoribus, & humores causam morborum asserere? quum tamen aliud est mater, aliud est infans à matre editus. Fingamus matrem habere morbum ab infante diuersum, quis est, qui uelit morbum infantis in matre indagare, qui morbus solum in infante est? nam infans nunc à matre auulsus est, ut quiuis dubium obijcere possit, matrem & infantem eodem morbo correptos esse, tamen unum ab altero seiunctum est, sic etiam morbus in eo in quo est inuestigari deberet, & si quis diceret: Cum tu elementa matris loco constituis, & matres etiam morbo grauantur, sic & elementa, ex hoc sequitur humorem esse causam morbi. Hoc ita intelligendum est, matrem etiam fructum produxisse è sua matre, quemadmodum infans ex illa. Sed in hoc differunt mater & elementum, nam elementa non sunt fructus, sed ut mater ad concipiendum. Quomodo potest igitur Medicus dicere morbos esse elementales, & quum elementum tollat, etiam morbum sustulisse credat.

Si Medicus hic incipit, ubi Philosophus desinat, rem ut melius consideret oportet: nam omnis Philosophia sic docet Medicum incipere, quomodo dicere potest pomum è terra prouenisse, cum tamen è semine nascatur. Hinc consequens est, ut si cum Medicina auferre humores uoluerit, fieri commodè potest, ægroto posse subueniri, eo tamen pacto, ut si mater remoueatur etiam infans una cum ea auferatur, matremque itaque sublata, corpus suum elementum amittit, & mortuum est. Vnde ex practicis illorum sequitur ægrotorum mors, & sanitatis corruptio. Nullo enim modo corpus suo corporali elemento priuandum est &c. Denique animaduertendum est, quam rectam &

rectam & facilem declarat Philosophia uiam, in eo, quod cognoscimus elementa esse matris corpus ad concipiendum semen, & ad dandum semini nutrimentum & alimentum. Quis igitur est adeo imperitus, qui Medicina utens, non intelligere Philosophiam uelit. Nam Medicus scire debet nomen indigne habere sine Philosophiæ cognitione. Hoc tamen concedo, quod unumquodque semen in se contineat tincturam uel impressionem suam, ex quo sequitur, quod elementa aliquam alterationem & mutationem consequantur: quod autem elementum ob id deberet esse causa morbi, non concedo, sed quemadmodum pannus ab externo colore coloratur, inficitur, ita & in elementis & semine fit, Si quis itaque colorem à panno segregare ita bene cognouerit, ut pannus in primum colorem redeat, ille periculum faciat. Verbi gratia, In Ictericia qui hanc tincturam auferre potest, is semen, ex quo tinctura facta est, remouit, hoc pacto corpus in pristinum restituit colorem, color enim non à corpore, sed ex alieno semine prouenit. Præterea de corruptione hoc quoque notandum est, ut si quis diceret, de corrupto aëre, de putrida aqua &c. quod ex huiusmodi corruptione suboriri morbi possunt, id non inficiamur, sed ea tamen lege. Totum enim non corrumpitur, nisi prius semen corruptionem conceperit, iam ex hoc patet: Semen corrumpere & aliud morborum genus generare, corrumpit corpus, sicuti aqua fortis è sale & nitro secundum artem distillata, ferrum frangit. Cum itaque istud semen tollitur, corruptio etiam tollitur, Exempli causa: Ex stercore nascuntur uermes &c. non quod sterco in uermes se uertat, sed semen in stercore fit, ex quo uermes generantur per Vulcani digestionem & caliditatem, ita uermis differt à stercore equino, si uermis esset sterco, nihil plane ab eo differret, Verum cum nulla similitudo in eo est, necesse est, ut aliam habeat generationem ex qua nascitur. Uua habet semen, quod est uini, unde nascitur uinum, non è semine ex quo lignum crescit. Semen ex quo lignum crescit, uideri & tangi potest, semen uero ex quo uinum fit, uideri non potest, utraq; tamen inseparabilia sunt, quemadmodum cor-



L A B Y R I N T H V S

dum corpus & anima. Exinde eliciendum est, quum in femine totum negotium sit positum, in primis det operam Medicus, ut semen cognoscere perdiscat, quo possit contra semen Medicinam parare. Scire itaq; ut supra dictum est, debent, duo genera seminis esse, ut semen iliastrum & semen cagastrum, hoc est, aut ab origine semen productum est, ut poma, pyra, nuces, tunc iliastrum dicitur, aut ex corruptione, quod cagastrum appellatur. Iliastri enim morbi sunt, Hydropisis, Ictericia, Podagra &c. Morbi autem cagastri sunt, Pestes, Febres, Pleuresis. Ille error Medicinæ est inextricabilis (quem Labyrinthum uocamus) in quo sic aberratum est, ut non pauci uitam amiserint. Si esset error sine periculo, tolerabilior esset. Nunc uero, quum tot secula Labyrinthus ille perdurauerit, ut interim silentio inuoluam ea, quæ breuitatis causa non dici possunt, nempe, quod omnes ordinationes, & repertæ (ut uulgo dicunt) medicinarum, quæ non ordinantur contra semen morbi, adulterinæ & inuitiles sunt. Postremo notabitis qui fiat ut morbi indies augeantur, quod si uultis planius intelligere, Philosophiam scrutamini, quæ uos docet intelligere & cognoscere, qualiter lignum, gramen & id genus alia crescunt, nonne è semine? maxime. Quum igitur omnia è semine nascuntur, & morbus quoq; è semine generatur, probari potest, Vnum ab altero in generatione nihil differre. Quum ita res habeat, quid inanem operam impenditis in morbis describendis omnis naturalis Philosophiæ expertes & ignari? Quomodo potest igitur Medicus incipere, ubi Philosophus desinat, si uero hic inchoauerit, ubi desinit Philosophus, desinit autem in lumine naturæ maiori. At uos sic in mundo minori doctrinam rectam dirigatis sicut Philosophus in mycrocosmo, tunc potestis quemlibet morbum cognoscere. Quemadmodum colonus arbores, earumq; morbos, quibus mederi studet, ruri cognitos habet, ita & Philosophus: & ut colonus arborem securi succidit, in quo semen fuit, istud semen esse desinit, & quo minus in semine est, tanto magis à semine distat, & ut elementa inter se diuiduntur, ita etiam in corpore se diuidunt. Nam  
& alia

M E D I C O R V M.

& alia mater, quæ aqua est, ad quam Philosophia fontium pertinet, & alia mater est terra, ad quam Philosophia crescentium pertinet &c. sic ea cum alijs elementis, & ita ea Vulcanus in maiori & minori mundo cognosci debet, tunc Labyrinthus hic locum non habebit, & genuinum totius Medicinæ fundamentum in lucem reducetur. Quare o Medici rem diligentius perpendite, ne dicatis hoc ex Galeno præceptis, & è Auicenna collectum esse. Sed uerum fatemini, quid deceat uos esse, olim ita erat, nunc longe diuersum est, non amplius imponere hominibus licitum est, sed uigilantioribus oculis obseruandum erit, & non sequamini eos, sed meliores potius amplectamini, quàm nobis ob oculos ponunt. Nec eorum scripta Euangelium est, ut contra salutem animæ sint custodienda, lumen naturæ optime operatum est suo tempore, sed contra naturam illud peruertunt. Quæ tamen sydera foelicia possunt in ignauo & stulto homine aliquid boni producere, si peruersus est, etiam lumen naturæ inuertit. Quare primum quærite regnum Dei, & plura his omnibus facietis, ne desperetis de Christi summi omnium rerum Medici benignitate. Nam si eum & proximum dilexerimus, cætera quibus indigemus, affatim largientur. Sed otio torpere & dilectionis obliuisci, etiam ea quæ possidemus, auferentur. Enim uero in horrendo ultimi diei iudicio ad Medicos multos dicit: *Ite maledicti in gehennam ignis, quando me ægrotum consolati estis, cum uestra Medicina. Vos illud, quod meum erat surripuistis & non subuenistis, deseruistis Deum uerum, & nihil ab eo didicistis, neq; discere petiistis, quæsuiistis thesaurum uestrum in terris & non in cælis, & mea opera in natura non perscrutati estis, ut Medicum decet, sed oscitanter egistis, oscitantes euauistis. Quare oculos aperite, ut cum hoc lumen uideatis, & illuminati respiscatis.*

Hæc omnia, ut uidistis capita, quæ Medicinæ libros, quomodo quæri debeat, ubi inueniri ac disci queat, indicant: non potui non conscribere, & ad utilitatem quorundam, uere Medicinam amanti-um, in lucem emittere, eam præsertim ob causam, quod uideo tam

I multos





## L A B Y R I N T H V S

multos hanc prouinciam subire de Medicina discenda, scribendi & de qualibet cura tractandi, quamuis id quidem infelicitè & magno cum periculo ac damno multorum faciunt. Nam per deos immortales, quæ ista est amentia quæue suprema potius malitia, isti rei, ubi de periculo ac uita hominis agitur, inconsultè ac imprudenter sese immiscere, eamq; alios etiam docere? quis furor? aut quæ insania in homine, ut ista tractare uelit, quorum tractatio, nisi cogitanter & cum consilio suscipiatur, multis damnosa, ac ualdè perniciosa futura sit? quæ deniq; cæcitas in suprema ac periculosissima scientia elaborare uelle, dum tamen id absq; omni fundamento, ueritatisq; adminiculo agas. Sane etenim isti, dum rectum Medicinæ fontem ignorant, dum in tenebris oberrant, nec certi quicquam de Medicina unquam didicerunt, tamen interim opiniones, ac fantasias nescio quas comminiscuntur, quibus Medicinam fundant, in quibus etiam curam suam ac practicam ponunt. Certum hoc quidem est, fundamenta ac principia istorum incerta infirmaq; esse, quomodo igitur medium & finis certus erit? Non certe commodum est, nec artis adeo, sic curam aliquam suscipere, & sic in Medicina nobilissima scientia uersari, mero errore, meris nugis ac fabulis, nullo antea fundamento posito, nullaq; ueritate quæsitâ. Imo, quia Medicina alijs & iustioribus fundamentis nititur quàm ipsorum, ut diximus nugis, æquum potius uidebatur, ac necesse etiam, ut Medicinæ dediti istud fundamentum quærerent, rectè Medicinam inciperent ac iustis initijs eam adorirentur. Habemus ipsissimum, ut sic loquar fontem Medicinæ artis in libris à Deo opt. max. scriptis ac æditis, quorum scriptura nunquam certe nos faller, & in istis incepta Medicina, nequaquam incerta erit. Cur igitur hac certa scientia neglecta, & iusto fonte contempto, ultro tenebras amamus, ultro erroribus nos intricamus? aut cur quæso tam impudentes esse uelimus, ut recto libro contempto ac lacerato, qui uel paruo labore ad disci poterat, in alios libros omnibus nugis refertos, magno cum labore incumbimus? Sed sic fieri solet plerumq; in mundo, ut homines iniusta

## M E D I C O R V M.

nes iniusta pro iustis magis amplectantur, deteriora optimis præferant, inutilia magis quàm uere utilia ament. Fœlix igitur iste homo merito putandus erit, qui neglectis hominum friuolis fantasijs, speculationibus, ac propria ratione inuentis, excogitatis fabulis, ueritate contentus est, & per uiam à Deo præscriptam ad scientiam pergit. Satis omnia clare à Deo exposita sunt, aliorum in compilandis uoluminibus opera minime indigemus, modo librum, quem ex naturæ lumine scriptum habemus, rectè contemplamur, & paruulam abiectò textu glossam addamus, ut suprâ ostendimus. Sat id ad eruditionem perfectam erit, satis tuti in practica, ac omni curatione erimus. Tutum enim est, Deo fidere, & Deo qui fedit, haud facillè in labyrinthum incidet, nec ægrotantes suos necabit, perdetue. Et hæc de Labyrintho Medicorum errantium, ac recto Medicinæ usu, errorisq; explicatione, paucis scribere necessarium mihi uisum est, ut sic in errore uersantes Medici citius exeant, & nondum ingressi, diligenter, ne incidant, præcaueant. Quæ candidus Lector æquo animo accipiet spero: erroneus autem Medicus, minus mirabitur, si in posterum forte audierit, alia ad Medicinam uia opus est, quàm Labyrintho communi, & fœliciores circa Medicinam futuros, qui contemptis ueteribus nugis ac caliginoso labyrinthi errore, lumen naturæ ducem sequitur.

Laus Deo.



AD LECTOREM.

# DIALOGVS FE-

STIVVS, IN QVO MEDICASTER

quidam à Philosopho de mala medendi ratione, coram Prætoꝛe postulatur, multiplicibusq; erroribus conuincitur. Licet Medicaster sese pro uiribus purget, obiectaq; utcunq; refellat, nihilominus ipse per Prætoꝛem ex suffragijs omnium tribuum reus mortis pronunciatuꝛ:

quem si legeris non poteris non fauere auctoꝛi, qui pestem tam sæuam tamq; perniciosam è medio sustulerit,

Dialogus

# DIALOGVS HAVD

INIUCVNDVS IN QVO PHI-

losophus Medicastrum quendam super erroribus in medendo commissis, coram Prætoꝛe accusat,

PHILOSOPHVS.



N optime Prætoꝛ illum Medicastrum, qui nuper cognatum meum Antonium Oberdorffium, uirum omni seculo dignum, suis pharmacis usq; adeo in-farfit, ut spiritum citius quàm morbum exueret. PRÆTOꝛ. Audin' tu hæc? quid respondes? CIMBER. Non ego, sed Doctõr ille Stromerius ab eo accitus. PRÆTOꝛ. Tu tamen huic pharmaca exhibuisti? CIMBER. Pauca admodum, sed salutifera. PRÆTOꝛ. At ab eo fugisti. CIMBER. Cum ille se alijs commisisset, ego ipsum quoq; relinquere sum coactus. APPARITOꝛ. AEquis-sime Prætoꝛ, ut rei seriem cognoscas, is primus & ante omnes accitus fuit, remq; citra periculum fore cum pertinacia adseuerauit, si modo sibi obsequeretur æger, uerum pharmaco, quod sibi miscu erat, epoto, in deterius inclinabat, quod animaduertens hic bonus uir, maturata fuga abiuit, hominemq; in summo periculo reliquit: ob id per amicos Stromerius archiater uocatus est, qui rem desperatam cernens, ab omnibus medicabulis abstinendum esse pronunciauit. PRÆTOꝛ. Audis hæc Cimber? CIMBER. Etiam Domine: sed pharmaca per me exhibita nocere non poterant: nam manibus meis ipsa concoxi, rebusq; tam salubribus temperaui, ut nihil noxi haberent, quæ & antea plerisq; alijs exhibui, cum quibus etiam bene cessit. PHILOSOPHVS, Audis iustissime Prætoꝛ hominis

I iij eximiam





## DIALOGVS.

eximiam temeritatem, qui Medicinam quam nunquam didicit exercere audeat, in perniciem humani generis, qua temeritate mihi auunculum Principis Electoris Friderici Saxo. ducis architectum ademit, cuius morbum cum neutiquam nouisset, temerario tamen ausu ad ipsius medelam prorupit, qua re crudelius nihil quidem excogitari poterit, quàm quod, ceu ipse facit, prætextu medelæ homines perdat, interimatq; ea tyrannide iam supra bisdenos annos Lemnia (ut aiunt) manu in hac patria usus est, & in non paucos utriusq; sexus homines crudelissime grassatus, quos uita, qua nihil dulcius, spoliauit, & ad orcum misit, sed hæcenus impune. Quod si ad iustam trutinam, ipsius quam iactat Medicinam examinaueris, eam longe immaniolem, atrociolemq; aut Phalaridis aut Busyridis carnificina comperies. Quod hi uel inimicissimos, uel quos sibi insidiosos putassent, trucidarint: is autem & amicissimos & innocentissimos ex æquo peremit, Attamen sese omnium Medicorum hoc nostro æuo principem & clamat & gloriatur, cum uix idoneus coquus Medicorum esse possit. Interroga Prætor æquissime, hunc iaiotam, ubi Medicinam didicerit, & audies quod Medicinæ nomen nequaquam intelligat, perquire eius eruditionem & cognosces quod cribrum frequentius multo quàm Hippocratis libros uertit. Nam nondum consummate elementa literarum combinare nouerat cum monachatum indueret, quo repudiato unguentariam sub magistro rudi & mechanico condiscere aggressus est, ubi coquere, pertundere, cribrare, mixturas unguentarias præparare, & id genus ministeria sordida exercere opus habuit. Tandem cum oxymel & Tyfanam concinnare gnarus Helleborumq; ac Esulam nouisset, eo insolentiæ perductus est, ut nondum bonus coquus factus, sese Medicum iactitarit, cum tamen de materia medicamentorum nihil amplius quàm quod corporibus hominum pro afferenda sanitate esset accommoda, cognouisset. Vbi uero & quando, aut cui, aut quomodo, tribuenda foret, penitus ignorarit. Ridicula profecto res est, nec in ullis opificum collegijs receptum, ut is artem aliquam exerceat,

## DIALOGVS.

ceat quam nunquam didicerit, Tinctores, Fullones, Cerdones, aut Sarctores interroga, hi tibi respondebunt, neminem ad societatem opificij sui inscribere, nulli facultatem opificij exercendi permittere, nisi qui sub magistro artis legitime & didicerit & institutus fuerit. Demum etiam ut sit ad magisterium opificij admissus. Verum is audaculus se ipsum magistrum fecit, priusquam discipulus fuisset, sibi titulum medici arrogauit, anteaquam uerbum quidem sub præceptore audisset, Imo nec in aliquo auctore idoneo uel uersum perlegisset. Quis unquam in re bellica uel Dux, uel Imperator fuisse dicatur, qui rei militaris eo usq; imperitus, ut tyrocinia nondum didicerit? Quis præfectus uel legionum uel castrorum unquam estimatus est, qui inter lixas & calones uersatus, nunquam inter cohortes uel primipilarem, uel centurionem egit, deniq; neq; per gradus rem militarem administrauit. At tu solus artem quam nunquam didicisti exerceas, cum nemo alioqui remum priusquam didicerit, impellit. Et cum feruus sis, cæsariam nutris, quasi fatis sit, coquinariam nouisse, ut Medici nomen tibi arrogas, idq; cum magno fastu circumfers & usurpas. Quod nisi R. litera addita, neutiquam dignus eris, Mirum profecto, eum uelle Geometram, uel Arithmeticum uideri, qui nec cubum uel conum nec etiam chilindrum nosceret, omnisq; numerorum rationis expertus foret, At tu sordidissime, in quo nihil sacri nihil sani est, audes Medici nomen saluberrimum, non modo ambire, sed temerè inuadere, & quod magis ridiculum est, cum Medicinam nec à limine salutasti, nec primoribus labris degustasti: eam tibi totam uendicas, quasi idem sit Caricam musam perstreperere, Atticam sonare. Verum inter indoctos etiam Corydus sonat, apud Cumanos quoq; asinus in pretio habetur. Simia uero semp simia est, si etiam aurea gestat ornamenta, Asinus quoq; Baal, asinus permansit, etsi uocem humanam emiserat. Nolo his diutius inmorari, ne tibi tempus respondendi eripiam. Profer in medium si qua habes, quo obiecta dilues. PRÆTOR. Primum nobis ediffere, ubi, & à quo Medicinā didiceras? CIMBER. Non didici sed inueni.

PHILOSOPHVS,





## DIALOGVS.

PHILOSOPHVS. O ridiculum caput quod sibi inuentum deorum arrogat. PRÆTOR. Sinas ipsum loqui. PHILOSOPHVS. Nonne dignus est, ut rideatur cum audeat sese Medicinæ inuentorem asserere, quam antiquitas omnis Apollinem & Aesculapium inuenisse testatur. CIMBER. Me non recte accipis Philosophæ, Medicinam quam ego operor ex schedis doctorum (quas recepta uocamus) in taberna medicamentaria inueni. PRÆTOR. Hoc tu inuenire uocas cum rectius sit furari, utpote rem alieno labore partam tibi usurpans. PHILOSOPHVS. Num quid probe dixi ipsum Medicinæ nomen non intelligere: quod dum ab eo requiris, instrumenta (quæ Medicamenta uocamus) producit, Tu de habitu, qui in animo Medici residet, salubriumq; ac insalubrium, & neutrorum scientia est, interrogas, ipse te ad schedas symplasiarum relegat: tu falces petebas, is tibi scapham indicat, Verum ut cognoscas quanto cum periculo mortalium fiat, ex similitudine mederi, ut id paulo altius exponam operæpretium erit. Tu modo fac mihi aures citra rædium benignus accommodes, tum luce meridiana clarius uidebis, quàm uoraginem intempestiue mortis omnibus sibi credulis his deliramentis struxerit, Curatio nempe cuiusuis morbi ex propria methodo pendet, quæ tam ex affectus essentia quàm causæ, & Synthomatis præhenditur: Morbi autem essentia ex notione propria inuenitur. Hæc tam complexionem, quàm compositionem membri affecti complectitur: Ista intemperiem, illa figuram, numerum, magnitudinem, & præter ea, tum contextum, tum situm, quo sese mutuo uel afficiant uel adiuuant membra in corpore hominis, respicit. Quæ singula ut cognoscat, qui curare desyderat, necesse est. Sed hæc non nisi ex dissectione corporum comprehendere licet. Sunt insuper mederi uolenti nequaquam prætereunda, quæ mox percensitis inseparabiliter cohærent, qualia sunt ætas, sexus, uirtus & alia huiusmodi: deinde & ea quæ extrinsecus adsunt, euitarique minime possunt, cuiusmodi sunt, regio, tempus anni, cæli status, consuetudo, exercitatio, & ante actæ uitæ uictus ratio, quibus omnibus

## DIALOGVS.

omnibus rite perpensis, tum primum Medico remedia indaganda sunt, quæ à nullis quàm ab his quib. omnia hæc explorata sunt, commode inueniuntur. Quod si omnium indicationes cum principe affectu consentiant, faciendorum eandem indicationem præstabunt, Si autem inter se pugnant, aut si morbi promiscui concurrunt, qui uarium curandi genus desyderant, hoc opus hic labor est, ibi oportet Medicum in omnibus tum exercitatum tum natura prudentem esse, ut cuiusq; indicationis sollicitæ potestate perpensa & cum alijs collata, quid potissimum laboranti accommodum sit, eliciat, quippe cum indicationi ab affectu sumptæ omnes aliæ, uel maior copia contrarium præscribant, Illa licet numero sit inferior, magnitudine tamen & potestate plerumq; superior remanet. Ibi quid primum quid ultimum inuenire operosissimum est. Nam is demum curator morbi erit, qui & inuenire & perficere potest quid potissimum ex his singulis suggeritur, & præstare quo pacto quodq; horum peragit, hoc artis Medicinæ munus est. Quanquam non nihil ad hoc suffragabit facultas ipsa, cuius ratio in primis habenda est: Ita tamen ut semper & ad causam, & ad affectum, & ad id quod per sanitatem ut plurimum obseruatū est, ac ad alia antea relata referre iudicium oporteat. Omnium itaq; agendorum cunctabundo consilio examinato ad auxiliorum inuentiones perueniunt, & ad curatiuum munus descendunt, ac iuxta propriam methodum ex singulis congestam medicamenta describunt. Verum ab hac consultatione coci medicamentorum omnino sunt semoti, quemadmodum ministri publici à consilijs magistratus. Quo igitur pacto medicamentarius noscere poterit, quibus indicationibus hæc uel illa medicabula descripta, qua ratione in idem tot simplicia commixta sunt? an ex una intentione, an ex contrarijs conflata, quæ fidei symplasiarum committunt, nisi quantum ex apparentibus (ceu rude uulgus) eliciat. Cum autem huiusmodi medendi ratio, alia & alia sit, in singulis ferme corporibus, tum ob temperiem diuersam, tum ob concomitantia synthomata, tum ob causarum disparilitatem. Demum ob ea quibus corpora nostra

K stra





## DIALOGVS.

fra extrinsecus obnoxia sunt, Neutiquam citra periculum humana uitæ ex his schedis fidei Pharmacopolæ creditis rectam medendi rationem Medicamentarius assequetur. Enimuero quod ad unius male affecti corporis salutem sollicitè indagatum est, ad omnes, etsi ex apparentibus notis similiter affecti uideantur, auxiliatiuum esse non poterit: non enim omnibus (ut in Prouerbio est) eadem remedia conueniunt, ob loca quæ affecta sunt dissimilia, tum in temperatura & habitudine, tum ob affectum concomitantia synthomata. At Empyricorum proprium est ex apparentibus tantum indicationem accipere ac ex similitudine mederi. Id quam fallax omniq; periculo refertum sit, uobis per exempla indicabo. Sunt enim exempla in hac re pro firmissimis argumentis accipienda, quod ipsa oculis nostris cernimus usurpamusq; per exempla etiam audientes excitare maxime expedit. Sit itaq; aliquis cuius uentriculus male concoxerat, cibumq; non solum respuebat, sed etiam per crebram uomitionem eieciabat, id totum ob pituitæ in sinu uentriculi redundantiam, quisquis rite illum medicatus est, primum uacuatione redundantis succi usus, deinde quæ uentris intemperiem ex humore superstitem alterent, imbecillitatemq; roborarent, tum ad esitandi prolubium, tum ad probiorem concoctionem, quod commode cum astringentibus calidis & amaris effectum est, partim ad intus deuoratis, ceu sunt Piper, Zinziber, nux odorata aut diatrionpiperion, aut diospoliticon medicamen, partim extrinsecus cathaplasmatibus, qualia sunt menta, absynthium, & alia id genus calfaciendi uim & astringendi ceu antea dictum est retinentia, Victus insuper ratio, ut par erat pro tali affectione cum uini potatione obseruata, quibus tandem uentriculus ad symmetriam à qua discesserat, redijt. Per occasionem alius aderit qui ob flegmonem uel flauam bilem in uentriculo similibus fere synthomatibus uexatur, hunc si quispiam uel Pharmacopola uel Empyricus, qui ex apparentibus tantummodo iudicat, & ob paritatem synthomatum ad parem medendi rationem traducat, aut ex schedis priori ægro salubribus non solum nihil proficit.

## DIALOGVS.

hil proficit, sed ægrum ipsum in emendabili periculo exponit, ad interitumq; eius exquisitè machinatur: quod hunc nec calfacientibus nec astringentibus mederi congruit, sed indicatione ab affectu, eiusq; causa ac particula afflicta, alijsq; mox recensitis accepta. In omni nempe morbo propria methoda ad curationem perueniendum est idoneis auxilijs: donec ad eam temperaturam quam habuit dum rectè ualeret, perducatur. Quoties autem hic Medicafter in hos errorum uortices abreptus sit, si dicere pergerem mihi nec dies iste sufficeret. Non possum tamen non dicere aliquas istius trucidatoris monstrosas curuationes, curationes dicere debueram, quibus insignem eius inscitiam cognoscatis, qua hæctenus claudi more ceu baculo innixus à uera medendi uia aberrauit. Interim multos perimens, plurimos trucidans, alios ad perpetuo deflendas calamitates perducens, ut ad nihil aliud natus putandus sit quàm ad perdendos homines. Quo simul imperitum uulgus (quod doctum ab indocto discernere nescit) intelligat, sese toties delusum quoties cruentis suis manib. sibi pocula porrexerit. Eius itaq; temeritatis unum alterumue proponamus exemplum. Vos precor ciues arrectis auribus attendite, ac animis æquioribus, quæ dicturus sum, perpendite. Non multi exacti sunt anni, cum Iuuenem ob siccam uentriculi intemperiem medendum adijisset, cui medicabula ex calfacientibus & siccantibus indidit. Insuper etiam uentriculo cathaplasma ex arfacientibus admouit, eundemq; uictu siccante nutriuit, quali apparatu breui hominem ad marasimum & extremam ariditatem perduxit, in mortisq; exitium ceu mala Parca trahebat, quem alius quisq; qui commodis præsidijs occurrere nouisset, facile seruasset. Huc suum errorem ipse humo contexit. Audite & alium huius in medendo errorem, unde ignorantiam ipsius crassissimam lucidissime percipietis. Mulier erat nobilis, cui mensium suppressio ob utriculi inflammationem contigit, huic calidissimis rebus, menses citantibus, ex ardenti uino exhibitis, omnem exundantem succum è toto corpore ad uterum fluere coegit. Inde flegmone indies aucto, nec ullo

K ij auxilio



DIALOGVS.

auxilio uel educendi uel auertendi, redundantis humoris à particula læsa, perfunctus est, cum tamen potior uis præsidiorum particulæ flegmone laborantis in hoc consistat, translato uidelicet sanguine uel ad alias partes uel foras misso, exinde refrigerationi intendere. Sed hic nouus Thessalus eo usq; flegmona assauit, quo usq; & alia uiscera torrefacta, affligebantur, ex tam insana curandi uia, mulier exanimata è uita concessit. Non est obscurum, quam atrocem temeritatem apud uirum religiosum commiserit, Franciscanæ sectæ non infimum, quem Citrus in urinario meatu præhenderat, ipsum calculo uexari credens, ob loci stillicidium rosonemue, huic omnino calida & calculum euocantia (quæ à Græcis diuretica dicuntur) administrauit, qualia profecto pharmaca, ex Galeni placitis, collectionibus in uesica uel renibus, uel etiam in orbitis urinaris adnatis, minime sunt exhibenda, sed potius humores qui fluere cęperant quàm longissime auertendi. At hoc medendi uel rectius mordendi genere chironica ulcera huic Franciscano quàm cito exciuit, quem ulcerato Francisco ne ei admodum difformis foret cum magnis cruciatibus commisit. Nota sunt hæc omnibus Franciscanis patriæ. Addam & tertium insigne temeritatis exemplum, quo magis perspicua fiat eius inscitia. Nam dum centauricam manum cuidam nobili apoplexia resoluta, iam pridem à Medico gnaro derelicto, admouisset, eius capiti pituita oppleto, cathaplasma ex Camomelis, Sisimbrio, Pulegio, Serpillo, Calamento, & alijs id genus calidis, omni uacuatione, qua crassiores noxiumq; succum à sede affecti loci aut expurgasset aut diuertisset, neglecta, errore pudendo & exitiali, cum satius fuisset, si has materias aceto incoxisset, & naribus admouisset, quo uapor ad cerebrum delatus crassitudinis uitium dissecuisset, an forsan facultas animalis, non potens defluere ad partes infra caput existentes, per meandi uiam recepisset. Ad quod spirandi subsidium in hoc affectu ob uehementiam causæ grauissime impeditum, officio tamen utcunq; fungens auxiliarem opem tulisset, propter cognatam inter sese societatem, qua inuicem obsequuntur, colla-

DIALOGVS.

tur, collatiuumq; præstant fauorem. Ipse autem extremi stuporis & imperitiæ sola sua perfruens insania, hominem ante fata peremit. O scelus, quis eum Medicum non omnibus numeris odisse possit, qui Medicina, pro salute hominum quæsita, ad exitium & necem innocentissimorum abutitur, qui sibi conscius à tam nephario scelere, non temperat, & quo plurimos iugulet, plurimis medetur. Si uos ô ciues, tuq; Prætor optime, eum semper odio habuistis, & ut proditorem uitæ detestari consueuistis, qui hostem uel suum uel publicum ueneno interemerit, cur illum qui natos consanguineos, amicosq; uestros, male medicando sustulit, honore dignum putatis? an interesse creditis, si quis uel pharmaco uel ueneno homicidam agit? cur sibi nomen Medici fauetis, cum nihil minus sit quàm Medicus. Sed forsan, quod uos illi opprobrio & uicio uertitis, ipse sibi pro insita arrogantia ad gloriam reputat, qui etiam eo insolentiæ deuenit ut iugulasse hominem medicatum esse iactet. Non perpendit miser officium Medici esse, nihil temerè, nihil sine ratione, nihil sine consilio audere, quoniam de uita hominis agitur: Hanc siue ferro; siue toxico: siue malis medicamentis ademeris, homicidij noxam incurristi. Quis Accessiam medicantem laudauit, qui quantumuis medicabatur, semper magis ac magis nocuit ægris, artemq; inquinauit. Approbatio artis rerum euentus est, quemadmodum militiæ peritum uictoria multijuga declarat illustremq; reddit. Hæc ideo recensui quo uos dum modo auxilio Medicorum egebitis cautiore efficiam, ne talem Medicum, qualem coram & uidetis & agnoscitis adeatis. Ne autem superioribus exemplis ueluti aboletis, ac longius repetitis, me nondum satis eius exitialem ignorantiam, conuicisse existimare poteritis, adhuc alia superesse scitote, quæ heri & nudius tertius ab eo commissa sunt. Quod si singula excutere uelim, ne finem dicendi facile inuenirem. Vnum tamen ut afferam me ingenij eius stupiditas admonet. Cum nuper ægrum ex flatuoso spiritu tumidum adisset, cuius imus uenter digito pulsus tympani strepitum sonabat, ob spiritum uaporolentum, in spatio medio inter intestina





## DIALOGVS.

& peritoneum inclusum, ubi aquam intercutem, aridam, ut ueteres locuti sunt, iam dudum concinnarat, hanc posteri tympanitam dixerunt. Erat uero iam dudum à Medicis non ultimi nominis præfagnis derelictus, ab amicisq; defletus ac conclamatus. Noster tamen Medicaster Praxile Aonide stupidior, id est nullius iudicij homo, morbi nec spetiem nec malignitatem intelligens (nocentior enim hæc Hydropis in calido & sicco corpore est) sanitatem cum magno fastu pollicebatur, mox quoque pharmaca urinam elicientia, cuiusmodi sunt Apium, Petroselinum, Marrubium, Assarum, Nardus celtica, & alia id genus bibenda miscuit, ægroq; præbuit, tanquam flatuosus ille spiritus in fumine seu abdomine, perinde ac in utriculo conclusus potius eius generis medicamentis obediret, quæ per urinas excernunt, quam potestate attenuantibus pharmacis, quibus tenuior factus, partim absumeretur, partim per cutem tum euanesceret, tum expiraret. Similiter neq; per clisterem, cui oleum attenuantium partium ueluti rutæ infusum, seminumq; aliquot calidorum, cuiusmodi sunt, Cimini, Apij, & alia istius massæ ad utriusq; medicaminis præsidium iniectionum locisq; uicio proximioribus adhibendum, aliquid educibile foret, cum reuera hæc propria istius morbi methodus existat, per uias scilicet uiciniores, quod præter naturam est uacuare. Subinde & uentri cathaplasma admouit ex herba in humidis locis genita, dubio procul & ipsa humida, & naturæ refrigerantis (symphaton ipsi uocant, tametsi alia sit) perinde ac si tantus tumor uaporolentiorq; ille spiritus, per hanc materiam cogi posset, ut citius loco cederet, quam per cutem expiraret, nihilominus ipse suis nugis inhærens, tanquam sceliciores curandi uiam comperisset, amicis percunctantibus beneficium sanitatis semper pollicitus est, donec sexto die æger uitam pro spiritu illo uaporoso efflasset. His satis credo me eius capitalem incertiam & indelibilem stupiditatem ceu inuincibili argumento probasse. Ut eius temeritas omnibus perspicua sit, & quam inique ac impie sibi ipsi palmam in re Medica tribuat nugacissimeq; hunc titulum circumferat.

Audet

## DIALOGVS.

Audet enim bonis omnibus ac doctis insultare, contumelias inferre, famæ ipsorum detrahere, infidias clancularias machinari, & tanquam Tessali infani filius se ipsum omnibus antepone, se solum sapere, se unum principalem Medicum fore, & quod humanum genus uel spiret uel aura fruatur superna, suæ industriæ reputat, omnes superiores de possessione deiicit, omnibus nomen & famam præripit, qui tamen in solis stercorebus & fecibus Medicorum hucusque uersatus sit. Antigenidas in tibicinio apprimè nobilis modulator, nihil æque se animi labore & angustia dicebat, quàm quod chorales monumentarij, tibicines dicerentur. Quo putas animo ferret Medici nominis communionem cum bælua tam indocta tam cruenta; profecto haud satis æquo. Sed satis audistis quàm egregijs facinoribus, quibus uirtutum ornatibus, sibi hoc nomen comparauit, quibus etiam ostentis hanc gloriam commeruit, quantis denique necibus mortalium, dexteræ suæ trophæa numerat. Quid restat? nisi ut communi consensu patriæ uere necisq; Magister proclametur, hoc est, carnifex ab omnibus dicatur: quem titulum tot innocentissimorum hominum exitio parauit. Si olim à populo Rhomano Archagatus, qui tabernam in compito habuit, uulnerariamq; ibi exercuit, à sæuitia secandi urendiq; carnificis nomen (ut Plinius auctor est) accepit, exosusq; omnibus fuit. Cur te qui in neces hominum, tam turpiter, tam perfide, tam impie machinaris, alio nomine dignentur? Carnifex profecto es, & carnificis nomine uerius quàm quopiam alio nuncupandus. Imo illo deterior, quod is noxios homines aufert, tu infontes bonos & bene meritos perdis: ille ex magistratus & legum decreto necat, tu ex clancularijs infidijs & prætextu medendi perniciem inferis. Sunt hæc omnibus apertiora, quàm ut silentio possint supprimi: sunt maiora, quàm ut possint uerecunde commemorari. Iam tempus adesse scio (nam tempus omnia reuelat & moderat) quod rationem actorum tuorum expostulet: quod præstigijs tuis finem imponet, quod factis tuis mercedem rependet, hæcenus ingenium pessimum dissimulasti,

diutius



## DIALOGVS.

diutius latitare non poterit: iam scelera, fraudes, infidiae, perfidiae, quibus pene uniuersae naturae hominum nocuisti, erumpunt, in lucemque prodeunt. Vtinam in alio quam in meo cognato crimina tua reuelata fuissent. Sed hoc Dei munere factum arbitror, cuius iusticia est suos perpetuo falli non sinere. Si tu ob lentitudinem uindictae te tutum putasti, nunc crede quod seueritate poenae tarditatem retaliabit. Nunc cuncta lues semel adglomerata uenit. Quid dicam amplius iam medius teneris, iam uinculum Vulcanium incidisti, e quo te extricare non poteris, quin flagitiorum tuorum meritum, recepturus sis. At uideo quam terrifico uultu nobis minaris, sed minime (crede) nos interpelles, scalpis caput, hoc te fontem esse fateris, hac nota te ipsum prodis, nec est quod iudicem toruis illis oculis palloribus inferno uel moueri uel terreri arbitreris, qui ex eorum numero non est, ut uel minis terreatur uel blanditijs capiatur, sed sui semper similis: qualem te inueniet, talem te iudicabit. Is autem fraudem, perfidiam, capitalem inscitiam, impietatem, crudelitatem, & alia tua improba facta, iam satis intellexit. Cognouit & illa turba circumstant. Nemo tam stupidus erit, qui tyrannidem tuam non exhorreat, qui carnificinam tuam non detestetur. Assunt non pauci, quibus parentes, natos, coniuges, fratres, ac sorores trucidasti, quibus etiam amicos sustulisti, societateque humana (qua in uita nihil dulcius) spoliasti. Quod si ab his suffragia exigentur, te communi consensu damnabunt, te talem carnificem communi studio ablatum iri percipient, quod commune omnium periculum in te uersatur. Nec tanta Praetoris aequissimi poterit esse clementia, ut eum trucidatorem diutius perferet, quem non tam humanae uitae peremptorem quam uniuersae naturae inimicum comperit. Sed ut ea quae nostra intersunt prosequamur, si potes ad obiecta respondeo, crimina refellito, testimonia confutato, ne tuo ritu, hoc est, tyrannico & instar barbaricae feritatis tecum agi, causari poteris: aut saltem ad causam auunculi mei, in qua praecipue postularis, quod habes edicito, ne causa indicta damnabere. Id enim scelus, quo caeteris est recentius,

## DIALOGVS.

recentius, ita & notius. In primis itaque hominis temperaturam enarrato, morbum quo decubuit exponito, causam eius proferto, nisi enim causam affectus noueris, nec morbum quidem intellexeris, synthomata & alia cohaerentia, a quibus potissimum medendi rationem desumpseris, producito. Nam nisi haec tibi solertissime explorata fuerint, quam longissime a uera faciendorum ratione aberraris. **PRÆTOR.** Ne a scopo discedere uideamur, nobis edicito quo morbo Antonius tibi languere uisus est, & qualia ei pharmaca miscuisti. **CIMBER.** Dicam plane Praetor aequissime, sed ne me ob uulgare dicendi genus contemnas oro, Nam simplici enarratione utar, & quoad possum cauebo, ne ab hoc Philosopho in ambages Philosophiae obstrusioraque disputandi loca abducatur, quemadmodum ipsum totis uiribus conari sentio, quod in his subtiliter magis quam utiliter Philosophi uersantur. Omnibus itaque ab arte alienis obmissis, ad rem ipsam accedam. Antonius, de cuius morbo inquisitio est, capitis dolorē cum febre non admodum adurente, attamen continua passus est, aderant quoque uigiliae cum alienatione. Ego praecipuam curandi rationem putauit dolori ablationem. Ad hoc ipsi Pharmacum a me pluries expertum temperaui, ex uino uidelicet maluatico, cui Hellebore, Agaricique ac Brioniae partes cum Cardomomo Cubebis, Mace, nuce Muscata, Galanga, Been, alba & rubea, Gariophilis, Cynnamomo, radice acori, Thymo, Epithymo & Zuccarum immisi, & post debitam decoctionem per saccum percusum distillaui, quo faciendi modo tam delicata fit potio, ut nulli qui ipsam degustarit displicere poterit. Nam ad formam Clareti redigitur. Verum hic modus praeparandi pharmaca a caeteris aromatarijs ignoratur. At ego magna industria a Magistro meo in Confluentia didici, cum qua interim potione etiam multos curauit, dolorem capitis cum deliramento passos. Est mihi ac semper fuit infallibile in his casibus, siue cum febre siue sine febre fuerint, medicamentum. Imposui quoque capiti eius cathaplasma ex Mandragora Lusquiniano, capitibus Papaueris opio cum oleis refrigerantibus, ceu sunt nenuffaris & uiolarum.





D I A L O G V S.

uiolarum. Tandem uino ardenti ac mustilaginibus dolorem lenientibus, & somnum prouocantibus admixtis, ut his dolorem capitis amputarem: In hoc sperans me bene & prudenter egisse. Nam hūc mendendi modum tanti esse credo, ut eum ipsum longe excellere putem, qui à doctoribus uestris passim obseruat, quo primum per Syrupos digerunt, post hac uel per enemata uel catharica expurgant. Demū confortare se dicunt, cū semper ægrum imbecillioem reddant, demum iterū ad ea quæ egere faciunt redeunt, quasi qui semper eundem ad lapidem nauim ducant, donec nauim frangant. Quid plura, tot pharmaca ingerunt, toties aluum purgant, toties uiscera imbecillia cruciāt, ut grauior sit Medicina quàm morbus ipse. Id ita habere sese satis nouerint hi, qui potiones istas gustauerunt. Quod si aliquoties sanitas ad huiuscemodi medicationem sequit: sequit autem plurimum: tanta tamen cum molestia, tanto cum tedio id efficit, ut satius sit uel mori uel ultima quæq; experiri, quàm diuturno cruciatu torqueri. Accedit non parum præter ea incommodi ægris uestris ex aromatariorum uestrorum imperitia, qui lucro uerius quàm uel honori Medicorum uel hominum saluti student. Non ea fide ac diligentia antidota præparantes, qua à doctoribus describuntur. Neq; in eorum officinis simplicia, quibus uires integræ efficacesq; sunt, cõperiuntur. In primis enim transmarina, in quibus præcipuam spem reponitis, adeo sunt uiribus expoliata, adeo sophistica antequam ad nos deferuntur, ut melius foret ipsis carere, quàm magno precio comere. Campestria uero & hortulana tam sunt ignota aromatarijs, tam negligenter conquisita, tam perperam asseruata, ut parum utilitatis hi consequuntur, qui illis perfruuntur. Nam quid dicam, In herbarum cognitione uix decimum reperietis, qui præter urticam, petroselinū, & alias paucissimas, etiam uulgo notas herbas ad officinam destinatas probe cognoscat, omnes uetularum & herbariorum nuncupationibus inhaerent, nullus ex eis sua manu eas colligit. Sed quid colligeret quod non nouit, quæ itaq; in ignorantia congregant, in squalore & fætoribus conseruant, & ad mœstitiam & calamitatem ægrorum

D I A L O G V S.

ægrorum dispensant, qua in re Medicum fraude sepe deludunt, quid pro quo, ut in prouerbium abiit, exhibentes. Tandem hæc oīa in iacturam & periculum ægroti redundāt, qui pharmacis sæpenumero perimuntur: quibus sese sanatum iri sperant. Dicit tu mihi o Philophe, quem aromatarium uidisti, qui iuxta traditiones physicorum genera herbarum tum campestriū tum hortulanarum in floribus, folijs stirpibus, radicibus, seminibusq; cognouisset: an ne omnes uetulis & idiotis ut dixi innituntur, quod quàm periculosum sit, tuo iudicio æstimandum relinquo, Ego autem qui à teneris annis sub meis Magistris, quos tu mechanicos uocas, maximo labore omnium harum rerum pro officina necessariarum figuram, faciem, formam ac dispositionem naturalem didici. In adultiori ætate adsueui. Non mirum si modo in talium cognitione alios antecello. Accessit insuper artificium, ut ea quæ ad usum Medicum sunt optima meis manibus percoquere & temperare doctus sim, modo etiam delicatiore quàm ulli uestri aromatarij. Quid dubitas talia mea medicamenta longe ualentiora his quæ per aromatarios uestros præparantur fore? Ego his de causis tantam fiduciam in illis repono, ægrosq; habendos iubeo quam tam nemo doctorum in suis antidotis habere sit ausus, quod hi alieno labori confidere habent. Præbetq; ea res non modicam spem sanitatis ipsis ægrotis, cum tale antidotum ex manibus meis sese accepturos agnoscunt, quod si aliquoties secus ac putauerim ceciderit, tam culpabile non erit, cū etiam boni sagittarij sæpenumero à scopo aberrant. PHILOSOPHVS. Iam satis perspicuum me etiam tacente esse arbitror, Prætor disertissime, quanta sit hominis istius infania, qui morborum quos curat non solum notiones, quas scire necessariū est, sed etiam uulgarium Medicorum nuncupationes ignorat. Interrogatus enim uero de Antoni auunculi mei morbo, synthoma profert, rationes suæ medelæ afferre iussus, coquinariæ fumos prætendit. Dignus pfecto qui fumo puniatur, quod omnium oculos tam crasso fumo præstringit. Cocum merū, aut cupediarium loquentem plane audiuius, Medicum qualem sese iactat nusquam pcepimus.

L ij Quis



DIALOGVS.

Quis nempe illum Medicum estimabit, qui nil medicum uel enūciare uel operari nouit: sicuti neutiquam illum poetam, aut musicū credimus, qui præter cantum aut numeros uel canit uel scribit. Quippe cum coquere tum pinferre, & id genus seruilia facere, ad Medicū nihil magis attinet, quàm uestes incidere, consuere, ac sarctionari, & siqua alia sunt in reip. sordida opificia ad magistratum, cui satis est his recta ratione uti posse, non facere. Sic nec Medico pigmenta cathaplasmata, catapotia, bellaria, tragemata, alexipharmaca, & id genus alia commiscere opus erit, sed scientifica ratione his nouisse perfungi. Quod si in parandis huiusmodi antidotis improbi ingenij opificem nactus fuerit, qualem tu modo depinxisti, qui uel fraude uel ignauia, & opere, & opera sua abutitur, Is tibi perfecto simillimus erit, nec lac lacti, nec ouū ouo magis simile, quàm tu illis, quos modo tuo penicillo deliniaueras, qui usq; hodie cū eis eundem gestas amictū. Omnia etenim uitia, quæ singulos habere notasti, in te uno & solo resident. Es nempe inter ignauos ignauissimus, inter inscios inscientissimus, inter fraudulentos fraudulentissimus, inter sophistas nugatissimus, inter improbos improbissimus. Si memineris te ex eorum grege fuisse, ex æquo meminisse uidebis, quantis nugis oīa tua egeris, quanta impostura, quanto fuce, singula oppleueris, qui toties umbram pro corpore, adulterina pro natiuis, amarum pro dulci, uile pro precioso, necem pro uita, ex taberna tua tum uendideris, tum prædestinaueris. Et qui modo rudentes & remos cū armis permutasti, audes eos qui tecum in eodem ludo nutriti, tot fraudib. incessere, quasi Eginita Cretensi melior sit. Quis melius lupū quàm lupus nescit? Quis indignius mœchum quàm Clodius accusat? Nihil minus necesse fuit quàm hoc ulcus tangere, quàm hæc carcinomata refrigerare, sed tibi minus cordis quàm oris inest, pari nanq; fronte ac impudentia effutisti, te ab ineunte æuo omnium præsidiorum materiā nouisse, & adultiori ætate impenso labore illam quæsiisse, ut fastigiū artis solus pene attigisses, quasi omnium rerum quas officina medicamentaria exigit, cognitiōem solus haberes. Quid à te dici potuit

nugatius,

DIALOGVS.

nugatius, cum reuera in noscendis simplicium medicaminum generibus, tua peritia nunquam tanta fuit, ut Petrosilinū probe cognosceres. Seridis herbæ uulgatissimæ genera, secundum faciem distinguere neutiquam potueris, Intybam penitus ignorares. Quid Eupatorium? quid Epatica? quid Centaurea? quid Napi? quid Eruca? quid Sesimum? quid Strutium? quid Condisi? quid Amomum? quid Fumaria? quid Gramen? & alia sexcenta officinæ delegata prorsus nescires. Tanta in materia medicamentorum tua est peritia, si mentior, profer in medium recensita, & unum aut alterum iuxta Germanam speciem in suis floribus, stirpib. stapis, radicibus, ac folijs, circumscribe, patiemur à te redargui mendacij, iniuriæ reuinci. Sed dū alios ignorantia infimulas, te ipsum omnium ignorantissimum indicasti, & te ipsum magis infamasti, quàm quod aduersus illos quicquam probasti. Non sunt exotica quæ tibi proposui, nec ab Indis aut Trogloditis petita, nobiscum sunt, nobiscum nascuntur, & quæ singula tituli seriniarū simplasiæ adesse pollicent, sed quàm uerè, quàm synceriter reddant, tu tuiq; similes uiderint. Quorsum igit se se tua ineffrenata iactantia proripiet, quæ eo est intollerabilior quo periculiosior, & bonis omnib. execrabilior. Tu tibi palmam in arte medicamentaria arrogas, cum adsint qui te uulgatissima opificij nūquam nouisse asserant. Tu cæteros pharmacopolas, tum opere tum opèra te superasse gloriaris, cum hic adsint qui te obsoniorū potius quàm pharmacorum coquum fateantur. Edicito saltem unū insigne opificium, quod præ alijs unquam concinnasti. Edicito plane, hic pone me sunt qui propere refellere possunt, qui rotundo ore enūciant te ne pycheam quidem (quod omnium quæ officina habet pharmacorum factu facillimum est) unquam probe confecisse. Quod si, & Tragemata, & Bellaria, aut Anysum, Coryandrum, Cynnammomum, & alia id genus, ductili tunicarū specie circumdare posse te iactas, item saccharum in uarias rerum effigies, aut placentarum diuersa genera ut masapanes, cum amigdalibus aut pinearum nucleis effingere, ganæq; id est ueditatio non artis ostentatio, dulciariumq; uerius, aut cupe-

L iij      diarium,





## DIALOGVS.

diarium, quàm pharmacopolam repræsentans, quin imo & mulierū huiusmodi extant opera. Quod si nec coquinariam, cui ex professo addictus es, cui à teneris (ut fateris) mancipatus fuisti unquam consummate attigeras, qua temeritate aut insaniam, aut quo merito appellem nomine nescio. Medicinam omnium maximam & sicut præclarissimam ita difficillimam ac profundissimam profiteri uel rectius prostituere ausus es, cū harum rerum quæ ad Medicū pertinent, nec prima elementa nouisti, plus quàm Celtica hæc est audacia. Id ita habere sese ex ipsa responsione, quam de auunculi mei morbo interrogatus, attulisti, hac luce clarius apparet, qui in tanta corona hominum tam inscite, tam ridicule, de affectus natura, quem sanandum suscepisti, in medium retuleras, cum nec morbi notionem, quam in primis eū scire oporteat, qui morbos sanare cupit, nec causam eius sine cuius notitia morbus rite curari nequit, intellexeris. Quid igitur alterum te dixisse arbitraris, Antonius capitis dolorem passus est, Antonius febre correptus est, ac si dixisses Cimber animal est, Cimber bipes est, ne asinus recte intelligaris. Es profecto ipsis asinis, qui omnium brutorum stupidissimi sunt, stupidior, qui aliud numero unum, aliud specie unum, cognoscunt. Tu uero quod genere tantum unum est, numero unum enuncias. Getam enim curatorem suum (dato ipsum ita uocari) ut numero unum asinus agnoscit, ob id illi auribus micat, rudit, lasciuit, utiq; indicans se familiarem agnoscere. At hominem quem uidet primum, ut hominem cognoscit, ad quem illa non facit, nec tamen eum fugit ut à Camelo conspecto. Cognoscit itaq; asinus hominem, & hunc hominem eodem modo uiam & hanc uiam norit. Tu uero & Cephalgiam & febrem ceu unum numero unumquodq; foret pronūcias, cum uterq; multiplex sit affectus, tum numero tum specie, genere tantum unus. Si communes ipsos esse noris, genereq; tantum unum, cur nomine cōmuni id quod numero unum est indicas? An nō intersit qua oratione uel nomine indicas quod numero unum sit uel plura. Si febris intemperies calida est, eademq; specie multiplex genere tantum una, quomodo eam nomine

## DIALOGVS.

nomine cōmuni ad hunc affectum notificandum, qui tum specie tum numero unus est sine differentia ipsam ad speciem reducentem, rite usurpas, Similiter & Cephalgia, quæ ex intemperie uel similiū uel instrumentalium partium puenit, aut quatenus eis uel uulnera uel ulcera uel obstructions uel inflammationes inferunt, ut actionem in eis offendant, succrescit, maleq; habet qui quicquam horum in capite perpetiatur, quo itaq; pacto affectus tam diuersos, unū numero dicere poteris, si nec unus numero est, quemadmodum non est, sed genere tantum. Neutiquam igitur ei ita permittendum ut illa, ceu sunt cōmune & proprium, partibile & impartibile, in unum confundas commisceasue, quod si notionem cuiusuis affectus rite absolueris uolueris, dialectica opus erit, quæ id te docebit, ut nomini cōmuni quod generis uicem habet, propria & adæquatam addas differentiam. Ex quibus duobus uel aliquando tribus notionem constitues integram, ut notio hominis, est animal rationale, mortale, sed hoc intelligere neq; tui ingenij neq; eruditionis tuæ est, qui tui semper similis, tuis affarijs inhæres. Habet enim uero morbus quiuis suū genus, habet & suas differentias proprias, quod si non alias tamen differentiarū loco causas accipit, quo notio sua integra resultat, quod notio omnis ex genere proprio, & differentia propria constet, id & pueri intelligunt, ut ergo notionem morbi exacte exprimas, & genus & differentias afferas oportet. Nā nisi illa attuleris nequaquam morbi notionem te explicasse puto, si etiam nomen, quod in medio usu loquendi obuersatur, attuleris. At quo pacto is uel genus uel speciem afferat, qui nec genus ullum habet, nec speciem aliam quàm cucullati monstri, hoc est infernalis furia refert. Affer primum genus tuum si quod habes, quemadmodum decet hominem legitimum iudicium subeuntem. Depone speciem adulterinam, & da te propius intueri. Nam an albus sis an ater nescimus, non poteris Protheum agere, nec simul Thetidem ac Galatheam amare. Sīrus cum non sis ne syriſsa, aliud est Hippocratis præcepta, aliud inania rerum simulachra imitari. Aliud Lolli fucum, aliud Lolij puluerem oculis imponere.



DIALOGVS.

*nere. Aliud est Medicum esse, aliud chimistam agere, hunc fumus ex-  
 eusat, illum humus redarguit. Sed præter pensum in illa incidimus.  
 Ut ad limites artis Medicæ redeamus tempus admonet. Audisti in-  
 unquam offensam actionem morbum nominari? morbus omnino  
 affectio est, quæ actioni incommodat, hunc synthomata ceu umbra  
 corpus concomitantur, huic in primis curatio debetur, synthoma  
 ut synthoma est, nec curationem indicat, nec rationem affectus ha-  
 bet, nemo enim claudicationem sanat, id enim ridiculum foret, sed  
 morbum qui hunc efficit, ueluti est flegmon uel alius quispiam, hunc  
 omni ratione discutere tentamus, ut hoc abolito rectus incessus red-  
 datur. Tu autem nec morbo nec causa eius (quæ in quouis morbi ge-  
 nere scrutanda est, nam ea præsentem nec morbus, nec synthoma adi-  
 mi potest) perpenſa, quod summo studio exquirendum foret, con-  
 temnis, aut peruerſe facis, hominesq; non secus ac syluestres apros  
 tractas, nam nihil certi habes ad quod institutum consilijue ratio-  
 nes referas &c. Quare dii tibi dent quæ mereris cum curatio-  
 ne istac tua, homo omnium qui sunt, qui fuerunt,  
 & qui futuri sunt confidentissimi-  
 me.*

TAG.

NORIBERGAE APVD VALENTI-  
 num Neuberum, impensis Bernhardi  
 Viſcher.

ANNO

---

M. D. LIII.

